

DE SECTA  
SPIRITUS LIBERTATIS  
IN UMBRIA SAEC. XIV  
*DISQUISITIO ET DOCUMENTA*



# STORIA E LETTERATURA

RACCOLTA DI STUDI E TESTI  
A CURA DI A. SCHIAFFINI E G. DE LUCA

3

P. LIVARIUS OLIGER O. F. M.

## DE SECTA SPIRITUS LIBERTATIS IN UMBRIA SAEC. XIV DISQUISITIO ET DOCUMENTA



EDIZIONI DI "STORIA E LETTERATURA",  
ROMA 1943 - XXI

*Nihil obstat quominus imprimatur*

Romae, die 31 Dec. 1942.

FR. LEONARDUS M. BELLO, *Min. Glis. O. F. M.*,

IMPRIMATUR

Tibure, die 25 Ianuarii 1943.

† DOMINICUS, *Ep. us Tiburtin.*

—  
E S E M P L A R E N. 102  
—

---

ISTITUTO GRAFICO TIBERINO - ROMA  
VIA GAETA, 14 (Off. Grafiche, Tivoli)

MONUMENTA GERMANIAE  
HISTORICA  
Bibliothek

## P R A E F A T I O

*De Spiritualibus franciscanis et de Fraticellis haereticis studia, quae diu persecutus sum, ad disquisitionem de secta Spiritus libertatis instituendam me perduxerunt. Non quod Spirituales, pugnacissimi illi Regulae S. Francisci zelatores, hac haeresi fuerint infecti — revera eorum duces Angelus de Clarino et Ubertinus Casalensis eam strenue oppugnaverunt — nec quod Fraticelli omnes perversis opinionibus sectae Spiritus libertatis adhaeserint, etsi de aliquibus id constat; sed tamen occasione magnae disceptationis de paupertate franciscana in Curia papali a. 1309-1312 habitae, de Spiritus libertatis secta pluries movebatur quaestio. Posteriores quoque rerum scriptores, veram sectae originem, ambitum et placita plene non cognoscentes, perversam illam haeresim Spiritualibus, plane immerito, quandoque impu-  
taverunt.*

*Motus ille haereticus, initio saeculi XIV in Umbria concitus, brevis quidem fuit et ad tempus, Provinciam S. Francisci nihilominus aliquot annos haud leviter turbavit. In eius autem exstirpatione tria momenta clare distingui possunt:*

1. *Denuntiatio a S. Clara de Montefalco O. S. A. Cardinali Legato Napoleoni Orsini facta et huius Legati actio*

consequens, in qua Ubertinus de Casali, eius capellanus, magnam habuit partem (1306-1307):

2. Visitatio Provinciae Umbriae, iussu Ministri Generalis Gundisalvi Hispani a Fr. Grimaldo de Prato et Fr. Guidone de Tuschis Bononiensi (c. 1307-1308) peracta;

3. Interventus Clementis V (a. 1311), qui, ad extirpandam haeresim Spiritus libertatis ex Ducatu Spoletano, Raynerium episcopum Cremonensem deputavit Inquisitorem, a quo in Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri, iam condemnatum et carcere detentum, novus Processus, reo potius favens, est institutus.

Acta Processus Card. Orsini sicut et documenta Visitationis duorum Fratrum Minorum in Provincia Umbriae factae deperdita esse videntur; hucusque certe inventa non sunt. Contra exstat episcopi Cremonensis Processus authenticus, quem Perusiae inveni. Pro praecedentibus, quae procul dubio maioris fuerunt momenti, fontes valde dispersos adire oportet, sicut et pro variis quaestionibus passim in disquisitione exsurgentibus.

Ne mireris itaque, studiose lector, quod de secta Spiritus libertatis Umbriae nemo hactenus tractare funditus conatus est, quodque apud rerum scriptores, qui questionem tetigerunt, sententiae variae, incertae vel erroneae haud raro inveniuntur.

Spiritus libertatis unum est e variis falsi mysticismi exemplis, quae in historia ecclesiastica, decurrentibus saeculis, non defuerunt. Sicut enim vita mystica authentica pulcherrimos sanctitatis, imo saepe etiam litteraturae flores producere solet, ita e pseudomysticismo spinae et tribuli haeresis ac turpitudinis non raro germinarunt. Ad hunc

*Spiritus libertatis pertinet secta, quam detectam exploratamque Ecclesia cito repressit et, quantum in se erat, mox extirpavit.*

*Huius porro sectae originem, propagationem, doctrinam ac denique extirpationem inquirere scopus est huic praefixus studio, quod sic dispertitum se praebet, ut in parte priore de singulis argumentis et problematibus, quae secta viro studioso offert, agatur; in altera vero textus et praecipua documenta, quibus dissertatio inmittitur, collecta inveniuntur.*

*Spero autem studium hoc, cuius varia elementa per annos plures collegi, ad clariorem pleniorumque cognitionem haeresis Spiritus libertatis Umbriae et simul Quietismi mediae aetatis hucusque parum explorati, paulum aliquid valiturum.*

Auctor.





# INDEX GENERALIS

	Pag.
Praefatio . . . . .	VII
Index generalis . . . . .	XI

## PARS I: DISQUISITIONES

Introductio . . . . .	3
Cap. I. S. Clara de Montefalco et Spiritus libertatis . . . . .	9
Cap. II. Spiritus libertatis et Ordo Fratrum Minorum . . . . .	28
Cap. III. De Bulla a Clemente V contra Spiritum libertatis edita (1311) . . . . .	37
Cap. IV. De Processu contra Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri instructo (1311) . . . . .	42
Cap. V. De doctrina Spiritus libertatis . . . . .	52
Cap. VI. De origine, propagatione, exitu Spiritus libertatis . . . . .	65

## PARS II: TEXTUS ET DOCUMENTA

I. Narrationes de Spiritu libertatis ex Legenda S. Clarae de Montefalco, auctore Berengario de S. Africano (1309-1315) . . . . .	91
II. Testimonia de Spiritu libertatis ex Processu apostolico canonizationis S. Clarae de Montefalco (1318-1319) . . . . .	103
III. Ex Relatione Cardinalium circa Processum canonizationis S. Clarae de Montefalco, inter annos 1328-1331 absoluta . . . . .	121

	Pag.
IV. Arnaldi de Villanova testimonia de Spiritu libertatis (1308-1309) . . . . .	127
V. Quaestiones de Spiritu libertatis in magna disceptatione inter Spirituales et Communitatem Ordinis Minorum in Curia papali a. 1309-1312 habita . . . . .	129
VI. Alvari Pelagii testimonia de Spiritu libertatis et de Bentivenga de Eugubio haeresiarcha (1332) . . . . .	132
VII. Bulla Clementis V qua Raynerius episcopus Cremonensis ut Inquisitor contra Spiritum libertatis in Vallem Spoletanam mittitur - Avenione 1 april. 1311 . . . . .	133
VIII. Processus in Franciscum de Burgo S. Sepulcri, Prophetam dictum, a Raynerio episcopo Cremonensi Inquisitore institutus. - Assisii, in sacro Conventu, 29 oct. 1311 . . . . .	143
IX. Sententia Fr. Accursii de Florentia O. F. M., Inquisitoris Tusciae, contra dominam Lapinam viduam quondam Lapi, dudum sectae Spiritus (libertatis) sectatricem - Florentiae, In Curia Inquisitoris (apud S. Crucem), 31 oct. 1327 . . . . .	147
X. Textus de erroribus doctrinalibus Spiritus libertatis . . . . .	150
1. Ubertinus de Casali, Arbor vitae crucifixae Iesu, Venetiis 1485, IV, 7: 36: 37 . . . . .	150
2. Alvarus Pelagius, De planctu ecclesiae, II, 52, ed. Venetiis 1560 . . . . .	153
3. Alvarus Pelagius, Collyrium adversus haereses novas (Cod. Ottob. lat. 2795) . . . . .	155
4. Errores sectae Spiritus libertatis iuxta Manuale Inquisitorum O. F. M. Tusciae (Cod. 1730 (A. IV. 49) Bibl. Casanatensis) . . . . .	156
Index alphabeticus . . . . .	159

P A R S 1  
DISQUISITIONES



## INTRODUCTIO

Una e maioribus plagis Ecclesiam et consortionem humanam medio aevo saepe affligentibus sectae variae fuerunt, quae in diversis Europae partibus nunc palam propagatae nunc clanculum serpentes, non solum doctrinae adversabantur catholicae, sed ipsa societatis civilis fundamenta aliquando minabantur. Quare Ecclesia, institutione Inquisitionis haereticae pravitatis, Conciliis, imo quandoque expeditionibus cruciatis, haereticos pro viribus impugnans ac debellans, non solum puritati dogmatum, morum integritati et conservationi disciplinae providit, sed de ipsa rei publicae incolumitate bene meruit<sup>1</sup>.

Praeter duas maiores haereses magnam partem Occidentis infestantes, Catharorum scilicet, in Gallia Albigen-  
sium, in Italia vero Patarinorum vocatorum, et Waldensium, minores quoque, indolis regionalis vel localis, apparebant. Tales fuerunt secta liberi spiritus seu Amalriciano-

<sup>1</sup> Ad rem observat F. Tocco, *Gli Ordini religiosi e l'eresia*, in *Gli albori della Vita Italiana. Conferenze tenute a Firenze nel 1890 da O. Guerrini, P. Villari etc.*, ed. Milano, Treves, 1920, 204-226; 226: «...La maggior parte delle sette ereticali del Medio Evo era informata ad uno spirito d'intolleranza ed esagerazione ascetica, e qualunque di esse fosse stata vittoriosa, avrebbe mosso alla famiglia, allo Stato e alla coltura una guerra più rovinosa che alla Chiesa stessa. Per dirlo in una parola sola, l'eresia medioevale, procedendo a ritroso del progresso dello spirito umano, ragion voleva che nel rifiorire dell'umanesimo, nonchè prosperare, andasse ferita a morte».

rum Parisiis ineunte saeculo XIII detecta et strenue repressa. Ortliebariorum, Luciferianorum, Begardorum in Germania, Guillelmitarum Mediolani a. 1300 ab Inquisitione suffocata, Apostolicorum seu Dulcinistarum Vercellis a. 1307 extirpata. Initio saeculi XIV similis secta, Spiritus libertatis nuncupata, in Umbria apparet, liberum arbitrium in homine negans et consequenter Quietismum immoralem et obscoenum profitens, quae inter Religiosos et saeculares utriusque sexus clam propagabantur, sed vix detecta fortiter repressa et pene deleta fuit.

De haeresi Spiritus libertatis in sequentibus acturi, terrenum fere inexploratum ingredimur. Nam de secta hac nulla exstat monographia, nullusque tractatus notabilis antiquus vel recens. Cuius rei si veram exigis rationem, in eo invenies, quod paucae tantum et valde dispersae notitiae de hac haeresi hucusque innotuerunt et praesertim quod ipsa, sive ob nominis similitudinem sive ob affinitatem doctrinae, cum aliis illius temporis motibus haereticis confundebatur, ut cum secta liberi spiritus, cum Dulcinistis, cum Begardis et Fraticellis aliisque id genus associationibus heterodoxis, imo aliquando iniustissime cum Spiritualibus franciscanis, qui suo modo pro puritate Regulae S. Francisci pugnant.

Iam saeculo XIV Alvaro Pelagio Begardismus, Dulcismus et Spiritus libertatis idem est<sup>1</sup>, dum Angelus de Clarino Spiritum libertatis a secta liberi spiritus seu Amalrici de Bena, Dulcino de Novaria medio, repetit<sup>2</sup> et An-

<sup>1</sup> Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae*, II, 52, ed. Venetiis 1560, f. 110r-118r.

<sup>2</sup> Angelus de Clarino, *Historia septem tribulationum Ordinis Minorum*, trib. VI, in *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte*, II, Berlin 1886, 130-32 (in sequentibus citabitur ALKG).

nalista Raynaldus in Spiritu libertatis de Joachimismo agi credit<sup>1</sup>. Confusio haec effecit ut sectae Spiritus libertatis historia nullibi clare et distincte tradatur. Revera Spiritus libertatis, quamquam, ut videbimus, cum quibusdam e nominatis cohaeret, haeresis est in doctrina fundamentali et in fatis externis ab illis disiuncta et diversa. Eius vero propagatio, quod spatium attinet, singulis quibusdam casibus exceptis, Umbriae fines non egreditur, et, tempus si consideras, primis saeculi XIV circumscribitur lustris.

Quae hucusque de secta Spiritus libertatis in Umbria innotuerunt, e scriptis polemicis Spiritualium eorumque adversariorum: Angeli de Clarino, Ubertini de Casali, Raymundi Fronsiaci, et e Vita S. Clarae de Montefalco auctore Berengario de S. Africano potissime desumpta sunt, qui fontes, deinde illustrandi, pretiosi quidem sunt, sed valde incompleti, cum nec notas chronologicas et ideo nec rectam eventuum seriem contineant, nec demum omnes doctrinas illorum haereticorum proprias clare proponant.

Lacunae hae ex aliis textibus sive editis sed hucusque neglectis, sive ineditis optime possunt compleri et fontes praedicti apparenter sibi oppositi bene conciliari. Si ex. gr. Angelum de Clarino et Ubertinum de Casali audias, meritum detectionis condemnationisque sectae inprimis ipsi Ubertino esset adscribendum, dum ex aliis textibus, praesertim ex Vita et Processu canonizationis S. Clarae de Montefalco, liquet Ubertinum secundo tantum loco intervenire potuisse, idest postquam dicta S. Clara haeresim denunciavit. Ex alia parte plura non exigui momenti, praesertim si ad sectae doctrinam attendis, inveni apud Ubertini de

<sup>1</sup> Raynaldus, *Annales ecclesiastici*, ad an. 1311, n. 71.

Casali opus *Arbor vitae* inscriptum, alia apud Alvarum Pelagium, Arnaldum de Villanova, edita quidem, sed a nullo hac in quaestione allata. Idem de B. Angelae de Fulgineo scriptis valet.

Unica bulla papalis de secta Spiritus libertatis certe et exclusive agens, Clementis V scilicet, dudum a Raynaldo ad an. 1311, n. 66-77, edita fuit, sed absque proluxa introductione, recentius vero integre a monachis O. S. B. in Regesto Clementis V impressa est. Haec infra inter textus referenda, studio speciali subicietur.

Aliud documentum, Processus Fr. Francisci de Burgo S. Sepulcri a. 1311 institutus, de Ordinis Minorum in secta reprimenda actione incognita quaedam nobis revelabit, dum elenchus novem errorum Spiritus libertatis, ab Inquisitoribus, uti videtur, confectus, occasionem praebet placita sectae examinare et iuxta varios fontes inter se conferre atque ad trutinam revocare.

Ex his novis textibus fons omnium ditissimus proculdubio est dictus Processus canonizationis S. Clarae de Montefalco a. 1318 auctoritate apostolica institutus, qui nomina quorundam asseclarum haeresis nobis pandit, multa particularia revelat, sed de Ubertini Casalensis in sectam actione aliunde certa penitus silet, cum eam recordandi ibi non esset locus. Videbimus quomodo duae diversae relationes de haeresis detectione et damnatione non solum conciliari possent, sed et mire se integrant vicissim ac complent.

Quod si ad auctores recentiores, qui de secta Spiritus libertatis egerunt vel utcumque tetigerunt hoc argumentum, convertimur, ii nec numerosi nec semper accurati sunt. Doctissimus ille Card. F. Ehrle eam cum secta liberi spi-



ritus confundit<sup>1</sup>, similiter Ch. Molinier<sup>2</sup>, Fredegandus Cal-  
laey<sup>3</sup>. Separatim sectam considerant Ch. H. Lea<sup>4</sup>, Fel-  
Tocco<sup>5</sup>, G. Volpe<sup>6</sup>, licet multa nova non afferant. Ex his  
Lea, ceteroquin saepe infidus, quaestionem forsitan melius  
tractavit, quamquam et ipse connexus necessarios minime  
perspexit, cum secus separatim et in locis diversis non egis-  
set de secta, de Bentivenga, de Francisco de Burgo.

Inter auctores vero antiquiores D. Bernino de Spiritu  
libertatis separatim quidem, sed sat confuse agit<sup>7</sup>. Sectae  
sedem in Umbria fuisse nullo verbo innuit, imo Raynerium  
episcopum Cremonensem in propria dioecesi haeresim hanc  
extirpare iussum fuisse a Clemente V (cuius bullam con-  
tra Spiritum libertatis Raynerio datam refert) tradit. Recte  
tamen Quietismum esse sectae doctrinam cognovit, ut ex  
exemplo Molinos allato clare patet<sup>8</sup>.

Cum nullus fons sectam Spiritus libertatis commemo-  
rans vel describens vel etiam doctrinam tradens ex sese sit  
completus, opus est prius singulos fontes in se considerare,  
eorum analysim instituere et deinde inter se conferre, qui-

<sup>1</sup> ALKG II, 155, nota 4; IV, 153ss.

<sup>2</sup> Charles Molinier, *Rapport... sur une Mission exécutée en Italie de février à avril 1885*, in *Archives des Missions scientifiques et littéraires*, 3<sup>e</sup> série, t. XIV, Paris 1888, 171. Idem studium separatim produit: *Études sur quelques Manuscrits des bibliothèques d'Italie*, Paris 1887.

<sup>3</sup> Frédégard Caliaey O. M. Cap., *L'Idéalisme franciscain spirituel au XIV<sup>e</sup> siècle. Étude sur Ubertin de Casale*, Paris-Bruxelles 1911, 44-49.

<sup>4</sup> H. Ch. Lea, *A History of the Inquisition of the Middle Ages*, New York 1888, III, 124ss.; cf. III, 63, nota; 108.

<sup>5</sup> Felice Tocco, *Studii Francescani*, Napoli 1909, 233s.

<sup>6</sup> G. Volpe, *Movimenti religiosi e sette ereticali nella società medievale italiana*, Firenze 1922, 207ss.

<sup>7</sup> Domenico Bernino, *Historia di tutte l'heresie*, Venezia 1711, III, 426-431.

<sup>8</sup> L. c. 427: «Quindi eglino inferivano empie conseguenze, che di fresco noi in Roma habbiamo annotate et esecrate nel Molinos».

bus factis sectae verus ortus et progressus, doctrina genuina et damnationis circumstantiae secure erui poterunt.

In hac igitur studii nostri parte priore argumenta sequentia enucleabuntur:

1. S. Clara de Montefalco et Spiritus libertatis.
2. Spiritus libertatis et Ordo Fratrum Minorum.
3. Bulla Clementis V contra Spiritum libertatis (1311).
4. Processus contra Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri (1311).
5. Doctrina Spiritus libertatis.
6. De origine, propagatione, damnatione, exitu Spiritus libertatis.

## CAPUT I

### S. CLARA DE MONTEFALCO ET SPIRITUS LIBERTATIS

Quoniam S. Clarae de Montefalco O. S. A. actio in secta Spiritus libertatis detegenda denunciandaque fuit omnium prima quoad tempus tantamque vim habuit, ut ipsam auctoritatem ecclesiasticam ad procedendum in nefandam haeresim induceret, ab ea studium nostrum incipere utile atque opportunum visum est.

Testimonia de hac actione in Processu canonizationis Sanctae auctoritate apostolica a. 1318, igitur decem annos post eius obitum, instituto, deposita sunt, quae proinde sunt immediata, in pluribus fundamentalia et insuper magnum numerum indicationum particularium circa sectam Spiritus libertatis, alibi frustra quaesitarum, continent. Re ita considerata, *Vita S. Clarae* a Berengario de S. Africano mox post Processum dioecesanum a. 1309 inceptum scripta, et *Relatio Cardinalium*, quae Processum apostolicum secuta est, quamvis pretiosa in se, minoris sunt valoris historici utpote fontes derivati.

In dictis tribus fontibus, potissime vero in *Vita* a Berengario exarata, omnes S. Clarae Vitae posteriores fundantur, quas omnes, praeter *Vitam* saeculo XVII conscri-

ptam a Baptista Piergillii, qui Archivo quoque Monasterii S. Crucis Montisfalci, in quo Processus canonizationis antiquus completior videtur fuisse asservatus, diligenter usus est, impune negligere possumus<sup>1</sup>.

Ut intelligatur, cur et quomodo S. Clara de Montefalco in detectione sectae Spiritus libertatis, cuius inventores et primi propagatores erant quidam Fratres Minores Provinciae S. Francisci in Umbria, partem habere potuerit et quidem praeponderantem, ante omnia quaedam de ea eiusque monasterii S. Crucis Montisfalci conditionibus et praesertim de eius cum Ordine Minorum relationibus praemittere oportet.

<sup>1</sup> Post Berengarium a S. Africano saeculo XV Anonymus quidam Frater Minor, qui, ut traditur, fuit Antonius de Montefalco, Vitam Sanctae in forma dialogi in vulgari scripsit, quam sacerdos Perusinus anonymus edidit: *Vita di S. Chiara da Montefalco scritta nel secolo XV per un Francescano suo conterraneo ed ora nelle feste di sua canonizzazione la prima volta messa a stampa da un Sacerdote perugino ad uso delle persone devote*, Perugia 1882. Erravit vero editor, quia alia editio iam exsistebat: *Legenda de sancta Clara de Montefalco del Ordine de sancto Augustino in forma de dialogo vulgare*, Milano 1504; (cf. Paul Kristeller, *Die lombardische Graphik der Renaissance*, Berlin 1913, p. 100). Aliae Vitae sunt: Isidorus Mosconius, *Compendium de Vita, miraculis et revelationibus beatae Clarae de Cruce Montis-Falconis oppidi in Umbria...*, Bononiae 1601, quam Vitam veteres Bolland stae, Vitam Berengarii synchronam non cognoscentes, reimpresserunt. *Acta SS.*, Aug. III, ed. Palmé, Parisiis 1867, 676-688; cum *Commentario praevio*. 664-676; Iacopo Alberici, Bergamasco, O. E. S. A., *Vita e miracoli della B. Chiara detta della Croce da Montefalco dell'Ordine eremitano di Sant'Agostino*, Roma 1610; Battista Piergillii, *Vita della B. Chiara detta della Croce da Montefalco dell'Ordine di S. Agostino*, 2<sup>a</sup> edizione, Foligno 1663, qui in Introductione quatuor paginas habet Bibliographiae (editio I ibidem prodierat 1642); Lorenzo Tardy, O. E. S. A., *Vita di Santa Chiara di Montefalco dell'Ordine degli Eremiti di S. Agostino*, Roma 1881; (est reimpressio; iam prodierat Neapoli 1821 et alibi); Luca di S. Giuseppe, Passionista, *Santa Chiara di Monte Falco*, Trevi - Umbria 1889; A. N. Merlin, *Une grande Mystique ignorée: Sainte Claire de la Croix de Montefalco. Religieuse de l'ordre de Saint-Augustin (1268-1308)*, Paris, Editions Spes, 1930; P. E. A. Foran, *The Life of St. Clare of the Cross*, London, Burns Oates & Washborn, 1935.

S. Clara de Montefalco puellula 6 annos nata in asceterium seu potius reclusorium, quod soror eius Johanna, opera patris Damiani nomine, cum paucis quibusdam piis feminis in patria civitate inchoaverat, intravit. Erant reclusae simul viventes, sed quamnam Regulam eo tempore secutae sint, e documentis non liquet. Cum vero Fratres Minores ab initio asceterii curam habuerint<sup>1</sup>, veri simile est pias dominas Regulae III Ordinis S. Francisci fuisse adscriptas donec, alio monasterio aedificato, a Gerardo episcopo Spoletano 10 maii 1290 Regulam S. Augustini receperunt<sup>2</sup>. Cum vero nulla documenta illius primae periodi praeaugustinianae superesse videantur, res stricte probari nequit. Sed quod Fratres Minores etiam post Regulam S. Augustini introductam capellani et confessores monasterii fuerunt, et diu postea<sup>3</sup>, habitus etiam Sororum potius franciscanus fuit, ut ex antiquissimis imaginibus Sanctae et ex ipso Processu canonizationis apparet<sup>4</sup>, et quod Sancta erga S. Franciscum devotionem specialem habebat<sup>5</sup>, quem

<sup>1</sup> Hoc patet ex *Vita Berengarii*, qui de illa periodo agens, refert quod S. Clara « quoniam lumen solitum et pacem in anima non habebat, fratribus Minoribus et aliis confessoribus causam sui doloris petendo consilium indicabat... ». M. Faloci Pulignani, *Vita di Santa Chiara da Montefalco indicata da Berengario di Sant'Africano*, Foligno 1885, p. 495. (Estratto dalla *Archivio storico per le Marche e per l'Umbria*, I, 1884, 557-625; II, 1885, 193-266); P. T. De Töth, *Storia di S. Chiara da Montefalco secondo un antico documento [Vita Berengarii] dell'anno 1308 per la prima volta integralmente pubblicato, tradotto e illustrato nella ricorrenza del VI Centenario*, Siena 1908, 265.

<sup>2</sup> Documentum edidit Piergilius, *Vita*, 229s., et inde Faloci, *Vita*, 52<sup>1</sup>; De Töth, *Storia*, 30<sup>2</sup>; Mosconius, *Compendium*, ap. *Acta SS.*, Aug. III, ed. Palmé, 678.

<sup>3</sup> Cf. Piergilius, *Vita*, 38.

<sup>4</sup> Cf. De Töth, *Storia*, 31, in nota. In Processu canonizationis a. 1318 sermo fit de « chorda qua [Sancta] cincta erat ». Arch. Vatic., Arch. Rituum, *Processus* 2929, f. 505v.; cf. etiam Piergilius, *Vita*, 38, 237.

<sup>5</sup> In quadam ecstasi Sancta « vocabat beatam Mariam et sanctos dicens

etiam in morte invocavit<sup>1</sup>, valde probabilem reddunt illam assumptionem.

Haec ceterum etiam analogia cum alio simili casu eiusdem temporis fulcitur: B. Christina Oringa apud S. Crucem Vallis Arni asceterium a. 1279 fundavit<sup>2</sup>, quod ab episcopo Lucano a. 1294 « Ordinis S. Augustini » dicitur<sup>3</sup>. Sed in instrumentis anterioribus sorores « indutae de ordine beati Francisci »<sup>4</sup>, « mulieres de Poenitentia »<sup>5</sup>, « Vestitae Ordinis Sancti Francisci »<sup>6</sup> vocantur, quibus verbis dictas sorores III Ordinem franciscanum professas fuisse clarissime constat. Quod si primitiva documenta monasterii S. Crucis Montisfalci conservata fuissent, idem forsitan de eo asseri certe posset, quod nunc licet tantum fortiter suspicari.

Ex dictis nemo colligat vetustam et famosam olim, hodie plane inutilem controversiam me velle renovare: S. Clara de Montefalco, Regulam S. Augustini indubie professa, Ordini S. Augustini est adscribenda. Necesse tamen erat controversiam hic breviter tangere ob quaestionem principalem, de qua agimus.

Nexus enim cotidianus cum capellanis et confessoribus ex Ordine Fratrum Minorum, ad quem ipse frater germanus

verba quasi praesentibus loqueretur et inter alios sanctum Franciscum invocabat dicens: Sancte Francisce mi, quomodo es pulcher ». *Vita Berengarii*, ed. Faloci, 58; ed. De Töth, 38s.

<sup>1</sup> Sancta exclamavit: « Ecce vita aeterna pro mea receptione paratur, quia me vult, et S. Franciscus et omnes Sancti veniunt ad ducendum me secum ». *Processus canonizationis* a. 1318, *Processus* 2929, f. 623. Idem in *Vita Berengarii*, ed. Faloci, 103; ed. De Töth, 87s.

<sup>2</sup> Cf. V. Checchi, O. F. M., *Una fondatrice toscana nel secolo XIII e le sue Costituzioni (S. Cristina da S. Croce sull'Arno)*, Firenze 1927.

<sup>3</sup> L. c. 95.

<sup>4</sup> L. c. 84.

<sup>5</sup> L. c. 88.

<sup>6</sup> L. c. 89.

Sanctae, Franciscus Damiani, pertinebat, partem quam S. Clara, post mortem (1291) sororis Johannaë abbatissa sui monasterii, in secta Spiritus libertatis detegenda, in Provincia S. Francisci seu Umbriae tunc occulte serpente, habuit, explicat.

Quae de actione S. Clarae in debellando sectam Spiritus libertatis hucusque innotuerunt, ex Sanctae Vita auctore Berengario de S. Africano sunt desumpta, cuius quidem Vitae, licet bis impressae<sup>1</sup>, editio critica ad fidem codicum facta, desideratur<sup>2</sup>. Fundatur vero dicta Vita in Processu informativo, quem idem Berengarius tunc Vicarius in spiritualibus generalis episcopi Spoletani, ad cuius ditionem Montefalco pertinebat, mox post Sanctae mortem († 17 aug. 1308) auctoritate ordinaria instituit, annis nempe 1309-1310<sup>3</sup>. Textus quosdam de nostro argumento agentes ex hac Vita infra, parte II, n. I, edemus.

Testimonia vero alia et quidem directa ex Processu apostolico canonizationis a Johanne XXII die 25 oct. 1317 ordinato<sup>4</sup> et anno sequenti in Montefalco instituto de-

<sup>1</sup> Sunt editiones Faloci et De Töth, iam citatae, quae unum codicem licet diversum, sequuntur. (Cf. notam sequentem).

<sup>2</sup> Studium nostrum fere absolutum erat, cum nova editio Vitae S. Clarae auctore Berengario apud *Analecta Augustiniana* (Romae) vol. XVII (1939-1940), 87-102, 169-176, 287-299, 337-349, 393-409, 445-457, 513-517, (in vol. XVIII (1941), 1-8, adest Sanctae Officium rhythmicum), opera Patris A. Semenza, O. E. S. A. prodiret. Adhibet quidem editor quatuor codices, qui sunt codex monasterii S. Crucis Montisfalci (quem ediderat De Töth), cod. Casanatensis (Romae) 21 (A. V. 15) (a Faloci Pulignani editus), Barberin. lat. 383 Bibliothecae Vaticanae (quo infra, in parte II, n. 1, usus sum), cod. Bibliothecae nat. Parisiensis, Nouv. acq. lat. 896; sed editio haec critica dici nequit tum ob defectus technicos, tum praesertim quia falsificationes in codicem Montisfalci super rasuris impudenter introductae in textum recipiuntur, licet in notis corrigantur.

<sup>3</sup> Cf. Piergili, *Vita*, 219s.

<sup>4</sup> Textus hullae *Magna nobis* ap. Piergili, 300-02 et in *Act. SS.*, Aug. III, ed. Palmé, 664s.

sumpta sunt, qui quidem Processus in articulis iuxta Processum ordinarium formulatis et a Johanne XXII transmissis fere totus reponitur.

Acta originalia partim conservata circa medium saeculum XIX Romam delata sunt e monasterio Sanctae in Montefalco (ubi forsitan etiam nunc existunt), e quibus apographum a Francisco Massi, Bibliothecae Vaticanae Scriptore, sat diligenter, orthographia tamen ad usum hodiernum reducta, factum est. Conservantur transcriptiones apographi in Archivo Postulationis O. E. S. A. apud S. Monicam, Romae, aliae in Archivo Vaticano, *Archivio dei Riti, Processo 2929*, qua usi sumus<sup>1</sup>.

Testes quorum depositiones, quatenus argumentum nostrum respiciunt, afferimus, sunt quinque, tres nempe moniales, Sanctae valde familiares, et duo Fratres Minores, scil. frater carnalis, et alius Frater. Sunt vero sequentes eo ordine quo depositiones fecerunt:

1. Soror Marina magistri Jacobi de Montefalco, quae de nostro argumento pauca tantum edixit. (Eius depositio integra circa S. Claram f. 11r-142r habetur).
2. Soror Thomassa, filia quondam magistri Angeli de Montefalco (f. 142r-330r).
3. Soror Johanna, secretaria S. Clarae<sup>2</sup> et post eius obi-

<sup>1</sup> Est magnum volumen in 4°, sed lineae sat large dispositae sunt, scriptura quoque non est minuta. In ultimo folio, f. 1028r, adest subscriptio Francisci Massi, Bibliothecae Vaticanae Scriptoris latini, testantis se transcriptionem e codice saeculi XIV fecisse. Sequitur nota chronologica: Romae die 24 Januarii an. 1850. — Tota Positio S. Clarae de Montefalco in Archivo Vatic., *Archivio dei Riti, Process. 2927-2931* complectitur. Alia Positio antiquior, tempore Napoleonis I Parisios translata, in *Bibl. Nat. Parisiensi. H. 359.A.*, n. 1773-1782. asservatur; cf. *Anal. Boll.*, V. 1886, 147-61: 150.

<sup>2</sup> Vita Berengarii, ed. Faloci, 105; ed. De Töth, 90.



tum abbatissa (f. 333r-446v). Deest initium et finis eius testimoniorum.

4. Fr. Franciscus quondam Damiani de Montefalco, O. F. M., frater carnalis Sanctae, qui a. 1308 et 1318 erat Custos Vallis Spoletanae<sup>1</sup> et a. 1326 fuit Inquisitor haereticae pravitatis in Umbria<sup>2</sup> (f. 470r-532r).

Sunt multi et alii testes tum religiosi tum saeculares, sed ii de miraculis in vita et post mortem perpetratis potius edicunt. Unum alium tantum addimus testem, qui Sanctae contrarius fuisse videtur, imo eam incaute cum haereticis Spiritus libertatis egisse insinuat:

5. Fr. Thomas Boni de Fulgineo, O. F. M., cuius testimonium in actu notarili, Fulginei 22 iunii 1319, depositum, Processui additum est (f. 877v-880r).

His aliisque quibusdam testibus quaestiones iam praeparatae et, ut diximus, in Processu priori Berengarii de S. Africano fundatae, propositae sunt. Articuli, quorum 315 in codice recensentur, quique quaestiones illas continent, non integri in Processu referuntur, sed generatim eorum initium tantum, quare eorum argumentum ex sola responsione discimus.

Formulas pure iuridicas aliaque parvi momenti vel ad nostrum argumentum non pertinentia in nostra editione textuum infra omittimus.

Iuxta hos textus S. Clara Spiritus libertatis periculum

<sup>1</sup> L. c. ed. Faloci, 106 et 123s. in nota; ed. De Töth, 91 et 110 in nota.

<sup>2</sup> Die 1 martii 1326 Johannes XXII « dilecto filio Francisco de Montefalcone de ordine Minorum, inquisitori haereticae pravitatis » direxit bullam, cuius regestum affert C. Eubel, *Bull. Franc.*, V, 299, textum vero integrum L. Fumi in *Bolletino della R. deputazione di storia patria per l'Umbria*, IV, 1898, 277. In Processu pluries idem commemoratur, sicut et in *Vita Berengarii*, ita ut eius *Vita* facile reconstrui posset.

ex visione quadam recognovit et ideo sorores sibi subditas praemunivit. Conversationes varias habuit cum sectae nondum detectae asseclis, qui, uti videtur, Sanctam eiusque monasterii sorores lucrari studebant perversae doctrinae ideis, quo in conatu gradatim processerunt, primum dubia et ambigua proponentes, deinde loquentes apertius.

Tali modo ipse sectae auctor, Bentivenga de Eugubio, in magna adhuc habitus aestimatione, processit. Is tria colloquia cum Sancta habuit (de duobus prioribus vide parum infra), in quorum ultimo captiosas et quam inverecundas sanctimoniali proposuit quaestiones<sup>1</sup>, ob quas S. Clara erubuit, sed tamen ob zelum fidei sustinuit et haeticum confutavit, fortiter ei contradicendo. Videns vero Bentivengam obstinatum, flevit super eius caecitatem. Cognovit vero clare periculum erroris, qui, si praevaleret, ut aiebat, totam Christianitatem destrueret. Monuit ergo sorores ut sibi ab haeticis his praecaverent, nec quievit donec haeticos efficaciter denuntiasset.

Brevius duos alios Fratres Minores infectos, Fr. Jacobum Capitonis et Fr. Petrum Salamonis, qui ambo de Montefalco erant, expedit<sup>2</sup>. Cum hi ad monasterium accessissent, Sancta, visione praehabita, cum eis confabulari noluit iussitque eos recedere, et ne cum sororibus ullam habere possent conversationem sollicita fuit.

Post denuntiationem vero Bentivengae et parum ante mortem Clara suspicionem Spiritus libertatis de proprio confessore Fr. Johannutio de Mevania O.F.M. habuit. Is in confessione de alio quodam, qui nulla re, ne offensione

<sup>1</sup> Cf. infra, pars II, n. I, 2; II, 2.

<sup>2</sup> In visione Sancta unum viderat in specie lupi, alterum porcil Cf. infra, pars II, n. I, 1.

quidem Dei, turbari posset, locutus est. Sancta confessorem de semetipso loqui intelligens, eum argumento ad hominem confutavit. Testes hac in re non sunt plene concordēs; iuxta aliquos Johannutius se convertit, iuxta alios Sancta suspicionem de eo retinuit et noluit eum ulterius esse capellanum et confessorem. Ipse tamen Sanctae etiam in morte astitit.

Quae praecedunt ex Processu canonizationis S. Clarae desumpta sunt, quo terminato (1318-19) et Avenionem ad Curiam papalem transmissis, Johannes XXII causae examen tribus commisit Cardinalibus, qui relationem facerent: Fuerunt ii Nicolaus Alberti O. P., episcopus Ostiensis († 1321), Vitalis de Furno O. F. M., episcopus Albanensis († 1327) et Napoleo Orsini, S. Adriani Card. diaconus, qui in commissione usque in finem permansit, dum alii et alii, sive morte interveniente sive negotiis praepedientibus, sibi successerunt. Fuerunt universim novem Cardinales examinatores. Relatio finalis a Cardinalibus Nap. Orsini, Petro de Arreblayo († 1331), Bertrando de Turre O. F. M. († 1332 vel 1333) porrecta est inter a. 1328 et 1331<sup>1</sup> editaque fuit in renovato Processu canonizationis, Romae 1881<sup>2</sup>, dum

<sup>1</sup> Hoc eruere possumus ex titulo cardinalis Petri d'Arreblayo, qui dicitur in Relatione episcopus Portuensis, quem a. 1328 recepit; obiit vero a. 1331. Cf. C. Eubel, *Hierarchia catholica*, I<sup>o</sup>, 15.

<sup>2</sup> *Spoletana canonizationis B. Clarae a Cruce de Monte Falco monialis Ordinis Eremitarum S. Augustini. Positio super miraculis*, (Romae 1881), *Summarium super dubio*, p. 91-177: *Relatio Emorum Patrum Cardinalium de Vita ac Miraculis B. Clarae, recitata in S. Consistorio coram sa. me. Joanne XXII.* — In collectione Mss. Processuum canonizationis S. Clarae in Archivo Vaticano, *Archivio dei Riti*, Processi 2927-2931, asservatorum, *Relationem Cardinalium* non inveni. Utique in Processu 2929 iam citato initium quidem f. 653r-658r adest, incipiens: *Proposito dudum in Consistorio, desinens: recollectio quadruplicata est et examinata cum originali, tam per nos quam per auditores nostros etc.* Folia 658r (partim) - 660r vacant. Initium Relationis pariter adest in duobus apographis saeculi XVI Bibliothecae

vetus versio italica Venetiis a. 1515 iam prodiit<sup>1</sup>. Tota Relatio, uti consentaneum est, in praecedente fundatur Processu, cuius substantiam, iuxta varia argumenta in variis sectionibus ordinatam, refert. Vetus versio italica, Venetiis 1515, e contra totam Relationem in tres Tractatus cum suis capitulis distinxit.

De secta Spiritus libertatis tribus locis, quos infra, in parte II, n. III, exscribimus, Relatio refert. Diutius in disputationibus, quas S. Clara cum Bentivenga de Eugubio haeresiarcha habuit, immoratur, sed nomen Bentivengae tacet. Nihil revera novi hic discimus, imo omnia nomina in quaestione de secta Spiritus libertatis intervenientium et ipsius Card. Orsini, qui in captione et condemnatione haeretici partem decisivam habuit, supprimuntur. In fine dici-

Vallicellanae, Romae, et quidem in cod. H. 3. pp. 47-48: *Proposito dudum — ut supra narratum est fuisse processum*; et cod. H. 8, n. 1, f. 103r-105r: *Proposito dudum — libenter accomodabimus libros nostros*. — Unicus codex antiquus Relationem Cardinalium continens, quem cognosco, est cod. 821 (737) Bibliothecae publicae Andegavensis (Angers), chart. et membr., mm. 318 × 245, saec. XV, ff. 407, in duplici columna, qui primo loco *Librum conformitatum Bartholomaei Pisani*, tertio loco *De laudibus S. Francisci Bernardi de Bessa*, medio (f. 357-380) quaedam de Processu can. S. Clarae de Montefalco continet. Legitur ibi f. 357: « Infrascripte sunt rubricae et examinationes et recollectiones sumptae de processu, inquisitione, articulis et attestacionibus habitis et receptis super vita et conversatione et miraculis recolende memorie Clare, abbatisse monasterii sancte crucis de Montefalco Ordinis sancti Augustini, dyocesis Spoletane et relatio super hiis ». (Cf. A. Molinier, *Manuscrits de la Bibliothèque d'Angers*, in *Catalogue général des Manuscrits des Bibliothèques publiques de France - Départements*, XXXI, Paris 1898, 189-618: locus citatus, 461s.). Qui titulus plane corespondet titulo *Relationis Cardinalium* in editione Romae 1881, 91.

<sup>1</sup> Vita, *Miracoli et Revelationi della Beata Chiara da Monte Falco de l'ordine di Sancto Augustino. Examine da XII Cardinali*, In fine: *Impresso in Venetia: Per Lazaro de Soardi, 1515. Adì 9 de Octobre*, ff. 60 in-16<sup>o</sup>; f. 1 v adest dedicatio ex qua nomen traductoris discimus: *Alla prestantissima et generosissima signora madonna Agnesina de monte Feltro: consorte dello excelso et illustre sire Fabricio colonna: frate Augustino de monte Falco de frati eremitani del ordine di sancto Augu. lectore in*

tur: « Haereticus autem praedictus incarceratus est, et sicut meruerat, condemnatus ». Eadem reticentia, quod ad nomina propria spectat, in reliquis duobus locis observatur, ubi « de personis quarum conversatio posset esse periculosa Sororibus » et « de revelationibus et visionibus daemonum et de fraudibus et malitia eorum » fit sermo. Si igitur so- lam Relationem Cardinalium haberemus, multa particularia circa sectam Spiritus libertatis addiscere non possemus: ne- que haeresiarchae nomen indicatur neque quod Bentivenga et aliqui asseclae fuerint Ordinis Minorum innuitur. Latetne in hoc prudenti silentio actio praedictorum duorum ex Or- dine Minorum Cardinalium examinatorum, proprii Ordinis famae providere cupientium? Res valde veri similis appa- ret, licet stricte probari nequeat <sup>1</sup>.

Quae de disputatione S. Clarae cum Bentivenga de Eu- gubio, haeresis Spiritus libertatis in Umbria auctore, iuxta Processum canonizationis Sanctae retulimus, in Vita quo- que eiusdem Sanctae a Berengario conscripta narrantur, li- cet non ita minute. Sed Berengarius ante disputationem il- lam, in qua Sancta novam haeresim clare perspexit, ponit aliud tentamen apud eandem Sanctam a discipulo Benti- vengae Fr. Jacobo de Montefalco factum <sup>2</sup>, de quo tenta-

*sacra theologia S. D. In fine dedicationis: Dato nella alma città di Ve- netia Addi primo di Maggio MDXV.*

<sup>1</sup> C. A. Willemsen, *Kardinal Napoleon Orsini (1263-1342)*, Berlin 1927, 143, 196, nota 629, Relationem Cardinalium opus personale Card. Orsini considerat et quidem compilationem ex Vita Berengarii contextam, quod utrumque falsum est. Nam Relatio opus est Commissionis, in qua suc- cessive novem Cardinales laboraverunt, obiectum vero Relationis erat Pro- cessus annorum 1318-19 et non Vita a Berengario ante hunc Processum conscripta.

<sup>2</sup> Vita Berengarii, ed. Faloci, 84s.; ed. De Töth, 66-69, et infra in parte II, n. I, ubi omnes locos de Spiritu libertatis in Vita Berengarii agentes collegi.

mine in laudato Processu, in quantum is est conservatus, nihil inveni.

Fr. Jacobus igitur ad monasterium veniens, tria S. Clarae proposuit, quae a Bentivenga « homine de sanctitate tunc temporis plurimum commendato » acceperat et super quibus dicebat se dubitare. Tria vera puncta fuerunt haec:

- a) Homo potest facere quidquid vult.
- b) Infernus non est.
- c) Anima potest perdere desiderium in hac vita.

Sancta Clara, quoniam verba huiusmodi sibi videbantur venenum erroris in se continere, statim non respondit, sed nocte sequenti verborum intelligentiam ferventi oratione a Deo quaesivit. Qua habita, in crastinum eidem fratri respondit propositiones illas « venenum pessimum in se gerere nisi intelligantur discrete ».

(a) Homo, inquit, potest facere quae vult, dummodo voluntas eius ordinata sit ad Deum, quoniam in eo casu velle eius aliud non est nisi quod Deus vult.

(b) Infernus non est, utique non est ad supplicium bonorum.

(c) Anima demum potest perdere desiderium, quando nempe in contemplationis fervore per raptum vel aliam elevationem in Deum immersa coniunctione mirabili in dilecto quiescit et in illo statu nil aliud appetit quam quae habet.

Ita S. Clara principia quae errorem Spiritus libertatis occultabant, orthodoxe interpretata est. « Frater autem praedictus (Jacobus) auditis Clarae sermonibus, errores quos tenebat in animo non detexit, sed obmutescens abscessit ». Munus S. Clarae ad sectam lucrandi, si tamen id possibile fuisset, Fr. Jacobus magistro suo Fratri Bentivengae cessit.

Revera post aliquod tempus Bentivenga cum praedicto Fr. Jacobo ad monasterium recessit et cum S. Clara colloquens iam clarius et apertius errorem pandit, inprimis repetens plus minus sententias falsas, quas Fr. Jacobus antea magis ambigue et cautius proposuerat, nimirum:

a) Anima perdit desiderium.

b) Homo sine timore aliquo offensionis divinae potest carnalia desideria adimplere, et licite committere quidquid vult, nulla habita differentia cuiuscumque peccati.

S. Clara non tentavit haec principia catholice interpretari, quod revera valde difficile vel potius impossibile fuisset, sed simpliciter contradixit negans illa principia esse vera. Errorem vero nunc clare cognovit, « quoniam tamen », inquit Berengarius <sup>1</sup>, « frater ille [Bentivenga] multum honorabilis in suo ordine habebatur et de sanctitate commendabatur plurimum, nec error illius usque adhuc erat detectus, ideo sibi mite et cum quadam verbali reverentia loquebatur », eo plus quod dubitabat, utrum haeresiarcha errores illos, ut dicebat, crederet et sentiret, an temptando forsitan loqueretur. Colloquium vero diei sequentis, de quo iuxta Processum canonizationis iam diximus, et de quo refert etiam Berengarius, omne dubium sustulit, et tunc Sancta non solum fortiter contradixit, sed haereticum ecclesiasticae denunciavit auctoritati.

\* \* \*

De tempore quo S. Clara in haeresi sectae Spiritus libertatis reprimenda intervenerit, nemo hucusque disputavit. Neque id ex solis textibus notis hactenus facile deter-

<sup>1</sup> Vita Berengarii, ed. Faloci, 86; ed. De Töth, 69s., et infra in parte II, n. I. 2.

minari potuit. Indicationes vero chronologicae Processus canonizationis, cum elementis chronologicis aliis conlatae, ad optatum finem conducere possunt.

Inprimis actio Sanctae tempore quo Card. Napoleo Orsini erat Legatus S. Sedis in Italia centrali et quo Card. Jacobus de Columna erat restitutus in sua dignitate, ponenda est, ut ex ipso Processu liquet. Iamvero Card. Orsini bis fuit Legatus in illis partibus: 1300-1301<sup>1</sup> et 1306-1308<sup>2</sup>.

Die 27 maii 1300 Card. Orsini nominatus est « rector in spiritualibus et temporalibus » et simul Legatus pontificius ducatus Spoletani, Marchiae Anconitanae et comitatus Perusini, quo in munere 28 maii 1301 successores habuit. P. Callaey repressionem haeresis Bentivengae, opera Fr. Ubertini de Casali (de quo postea), huic priori Legationi Cardinalis adscribit eumque Willemsen nuper secutus est<sup>3</sup>. Sed huic chronologiae inter alia omnino obest testimonium Alvari Pelagii. Is ad Pentecosten a. 1304 Assisii a Ministro Generali in Ordinem Fratrum Minorum receptus est. Iamvero Alvarus sectam Spiritus libertatis tempore sui novitiatus, igitur a. 1304-05, nondum detectam fuisse clare testatur.

Refert enim<sup>4</sup> quod tempore suo multi saeculares et Fratres Minores in Provincia S. Francisci ob Spiritum liberta-

<sup>1</sup> Cf. Gius. Garampi, *Memorie ecclesiastiche appartenenti all'istoria e al culto della B. Chiara di Rimini*, Roma 1755, 342-44; A. Huyskens, *Kardinal Napoleon Orsini*, I. Teil, bis zur Wahl Klemens' V., Marburg 1902, 41-47; (Pars altera huius studii non prodiit, cf. tamen *Historisches Jahrbuch*, 27, 1906, 266-290; 812-820, de relationibus Card. Orsini cum Capitulo basilicae S. Petri, Romae); Willemsen, *Kardinal Napoleon Orsini*, 7-10.

<sup>2</sup> Garampi, 345-49; Willemsen, 25-52.

<sup>3</sup> F. Callaey, *Etude sur Ubertain de Casale*, 44, 141; Willemsen, 178, n. 307.

<sup>4</sup> Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae*, II, 52, ed. Venetiis 1560, f. 114va-b; cf. textum infra, pars II, n. VI.



tis per Inquisitores incarcerati sunt, inter quos quidam Frater Minor, qui propter perfectionem quam ostentabat, Apostolus vocabatur et qui fuit caput illius erroris. Alvarus Pelagius, cum esset novitius, ob quamdam tribulationem ad illum recurrit, quia eum credebat virum perfectum. At ille subridens novitio respondit se numquam posse tribulari. Quod responsum Alvarus tunc non intellexit, imo maiorem conceptum de illo habuit. Postquam vero rescivit illum ob Spiritum libertatis captum fuisse, bene perspexit cur ille turbari non poterat, quia quidquid caro ei suggerebat, libere agebat.

Quod vero in hac narratione revera de Bentivenga de Eugubio, quamquam eius nomen non indicatur, agitur, est omnino certum ex haeresiarchae descriptione (ob ostentatam sanctitatem Apostolus vocabatur), quae cum aliis testimoniis explicitis penitus convenit. Anno 1304-5 igitur Fr. Bentivenga cum suis asseclis adhuc erat liber et nulla suspicio de eo tempore illo communiter habebatur. Ergo a. 1300-1301 Spiritus libertatis non fuit repressus.

Idem Processu canonizationis S. Clarae luculenter probatur, testimonio nimirum sororis Thomassae (testis 2, art. 115). Ea enim dicente, Sancta Bernardum de Pisauris, qui filiam in monasterio Montisfalci habebat, exhortata est, ut Bentivengam caput sectae Cardinalibus Napoleoni Orsini et Jacobo de Columna denuntiaret. Tempore vero prioris Legationis Card. Orsini (1300-1301) Card. Jacobus de Columna adhuc erat excommunicatus dignitateque cardinalitia privatus latebat, quare Sancta ad eum tunc certe non recurrisset neque eius interventus quid profuisset.

Restat ergo Legatio altera Card. Orsini (1306-1308), de

qua nunc agendum<sup>1</sup>. Die 15 feb. 1306 Card. Napoleo Orsini Legatus pontificius Tusciae, Romandiolae, Marchiae Trevisanae etc. institutus est et die 8 martii 1306 Legationem Lugduno est aggressus. Initio plurimum occupatus rebus politicis circa Pistorium et Florentiam, in Tusciam meridionalem eo tempore pervenisse non videtur, sed Bononiae, Imolae, Faventiae, Forolivii a. 1306 commoratus est. Initio vero mensis apr. a. 1307 Faventia Aretium se contulit et ibi plus minus permansit usque ad mensem septembrem 1307, quo Cortonam<sup>2</sup> et Clusium abiit. Die 17 sept. 1307 opera Fr. Ubertini Casalensis, Legati capellani, pax inter Senenses et Legatum facta est, dum idem Ubertinus mense novembri eiusdem anni in oppido vulgo Fucecchio dicto, et initio a. 1308 in Monte Politiano, nomine Legati cum aliis de pace tractavit. Die 15 feb. 1308 Card. Orsini iterum erat Cortonae, ubi Legendam S. Margaritae de Cortona approbavit<sup>3</sup>. Exeunte vero eodem anno 1308 Legatio finem habuit et Cardinalis Romam se contulit, ubi 7 feb. 1309 moratur, dum 12 jun. eiusdem anni in Curia papali invenitur<sup>4</sup>.

Videamus nunc quomodo actio S. Clarae in illos haereticos cum his factis quadrat et quando Sancta eam explicare potuit.

<sup>1</sup> Notae chronologicae sequentes ut plurimum desumptae sunt ex Willemssen, l. c. 25-52.

<sup>2</sup> Cortonae diebus 2 et 28 septembris 1307 Card. Orsini Indulgentias varias ecclesiae S. Basilii (hodie S. Margaritae de Cortona) concessit; vide documenta ap. Lodovico da Pelago. O. F. M.. *Antica Leggenda della vita e de' miracoli di S. Margherita di Cortona*, Lucca 1793. II, 165s. Ludovicus de Pelago primum documentum falso a. 1306 attribuit. Die 2 septembris 1306 Cardinalis erat Forolivii. cf. Willemssen, 36.

<sup>3</sup> Lodovico da Pelago, l. c. I, 340.

<sup>4</sup> Huyskens, in *Historisches Jahrbuch*. 27, 1906, 272, not. 2.

In testimoniis Processus canonizationis de nostra quaestione unam solam temporis indicationem sat praecisam invenimus. Interrogata enim soror Thomassa (2 testis, art. 112), quo tempore S. Clara colloquium cum haeretico Bentivenga habuerit, « dixit non recordari distincte, tamen credit quod fuerunt duo anni ante mortem s. Clarae et plus ».

Cum vero Sancta diem obierit supremum 17. aug. 1308, conversatio praedicta, quae denuntiationi haeresis Bentivengae dedit occasionem, altero medio anno 1306 locum habuisset<sup>1</sup>. Sed haesiarcham non statim post illam conversationem captum et damnatum fuisse ex aliis Processus canonizationis liquet testimoniis, quibus apparet inter dictum colloquium et effectivam haeretici captionem successive intervenisse tractatus cum variis viris, ut infra dicitur<sup>2</sup>. Hi vero tractatus tempus quoddam necessario exigebant.

Ex parte altera a. 1306, ut dictum est, Card. Orsini in Romandiola morabatur, ideo non ita propinquus ut quis e Montefalco cum ipso facile et celeriter communicare posset. Aretium autem Cardinalem initio mensis aprilis a. 1307 e Romandiola pervenisse ex iam dictis constat. Capto vero Bentivenga cum suis, institutus est Processus Inquisitionis; « donec super praedicto crimine, inquit Berengarius<sup>3</sup>, fuit formata inquisitio contra eos et reperti culpabiles condemnati sunt ac perpetuo carceri mancipati ».

Omnibus igitur attentis circumstantiis, primam actionem Card. Legati in Bentivengam, idest huius captionem initio veris a. 1307 accidisse censeo, Cardinali Aretii com-

<sup>1</sup> Ita etiam Piergilli, *Vita*, 53.

<sup>2</sup> Vide infra, cap. VI.

<sup>3</sup> *Vita Berengarii*, ed. Faloci, 90; ed. De Töth, 74, et infra, pars II, n. I, 2.

morante, infra fines suae Legationis, ad quam ducatus Spoletanus, in quo situs est Monsfalcus, non pertinebat. Et quod Bentivenga revera in Tuscia sit condemnatus, non tam ex verbis Arnaldi de Villanova de condemnatione in Tuscia facta explicite loquentis<sup>1</sup>, quam ex eo quod Bentivenga incarceratus fuit Florentiae, ut in cap. VI erit dicendum, concludo.

Neque obstare potest chronologiae ita stabilitae antedictum sororis Thomassae testimonium, iuxta quod colloquium Sanctae cum haeresiarcha et consequens denuntiatio duos annos et plus ante mortem S. Clarae, proinde altero medio anno 1306 evenissent. Attendendum enim est sororem indicationem suam incipere declarando se de tempore non distincte recordari. Quare eius verba premenda non sunt. Differentia ceterum est paucorum mensium et iuxta itinerarium certum Card. Orsini eliminanda.

Porro cum Fr. Ubertinus Casalensis, qui, ut aliunde constat, haereticum captum principaliter convicit, inde a mense septembri a. 1307 in rebus arduis politicis iussu Cardinalis Legati occuparetur, Processum Inquisitionis Aretii contra Bentivengam factum tempori inter mensem aprillem et augustum a. 1307 tuto possumus adscribere.

Stabilita itaque hac nota chronologica, fundamentum quoque habemus ad tempus actionis Ordinis Minorum in socios et assecclas Spiritus libertatis in Provincia Umbriae determinandum; sed de hoc in capite proximo.

Ex dictis clare sequitur quod prima actio in Spiritum libertatis a S. Clara de Montefalco processit, denuntiatione scil. primis mensibus a. 1307 facta. Cum vero haeretici capti

<sup>1</sup> Vide infra, pars II, n. IV, 2.

et in manus Card. Legati Napoleonis Orsini traditi essent, is rem inquirendam Fr. Ubertino de Casali capellano suo commisit, qui, ut infra in capite VI latius dicendum erit, haereticos erroris convicit. Ita utrumque testimonium, *Vitae* scil. S. Clarae et Processus eius canonizationis ex una parte, et Angeli de Clarino ex alia, optime concordant: meritum primae detectionis haeresis revera ad S. Claram plene spectat, quod vero Fr. Bentivenga erroris iudicialiter convictus sit, Fr. Ubertini de Casali industriae atque astutiae est attribuendum.

Quod si praedictas detectionis erroris circumstantias attentè consideraverimus, mirari licet nefandam haeresim Spiritus libertatis in Provincia S. Francisci, in qua certe viri docti et theologi scholastici non defuerunt, impune serpere diu potuisse et demum a moniali simplici sed sancta fuisse recognitam<sup>1</sup> ac debite denuntiatam. Sed, ut aequè iudicemus, attendendum est quod Bentivenga contra suspicionem quodammodo erat munitus magna sanctitatis fama, qua haeresim abscondere facilius ei evasit, dum coram indocta moniali dogmata infamia primo obscure ac deinde apertius se impune manifestare posse credidit. Quomodo vero Ordo Minorum cognito errore, se habuerit, ex sequentibus patebit disquisitionibus.

<sup>1</sup> In *Vita Berengarii* scite notatur (ed. Faloci, 54; ed. De Töth, 33):  
 « Et quamvis Clara mulier licterata non esset, quoddam tamen lumen intelligentie scripturarum et divini amoris ardorem habebat in anima, per vite speculum et magisterium doctrine eis qui sibi aderant effectualiter ostendebat ».

## CAPUT II.

### SPIRITUS LIBERTATIS ET ORDO FRATRUM MINORUM.

Ex S. Clarae de Montefalco Processu canonizationis, cuius in capite praecedente brevissimam analysim, quatenus argumentum nostrum respicit, attulimus, evidenter apparet quosdam Fratres Minores Provinciae S. Francisci errore Spiritus libertatis fuisse infectos. Inter alia valde notanda sunt verba, quae S. Clara Fr. Andreae de Perusia O. F. M., Inquisitori Umbriae ad se in causa Spiritus libertatis accersito dixit: « Postquam tu es Inquisitor, quare tu non punis errores et patarinias qui sunt infra vos? » (testis 2, articulus 114), ubi vocabulum « patariniae » a Sancta usurpatum, sensu generico « haeresis » accipiendum est, et non sensu specifico, ac si Fratres illi sectae Patarinorum seu Catarorum fuissent adscripti. Illo vero verbo haeresim Spiritus libertatis Sancta significabat, ut omnis textus et contextus suadent<sup>1</sup>.

Fratres Minores haeresi Spiritus libertatis imbuti in dicto Processu canonizationis et partim etiam in *Vita San-*

<sup>1</sup> De Töth. *Storia*, 67, prolixam ac penitus inutilem notam ad textum Berengarii, ubi de Spiritu libertatis fit sermo, adicit de Patarinis, de quibus nullo modo ibi est quaestio.

ctae a Berengario conscripta expresse nominati, sunt sequentes:

1. *Bentivenga de Eugubio*, vocatus apostolus vel haeresiarcha, in magno conceptu sanctitatis habitus, qui in Ordine praedicationis habebat officium et « multum honorabilis in suo ordine habebatur et de sanctitate commendabatur plurimum »<sup>1</sup>. De eo omnes testes a nobis selecti in *Processu can.* loquuntur, sicut generatim fontes de Spiritu libertatis in Umbria agentes. In sequentibus plura de eo.

2. *Jacobus Capitonis de Montefalco*, seu de Cocorano, quod est nomen antiquius Montisfalci. Iuxta Berengarium et ipse habebat praedicationis officium in Ordine et discipulus Bentivengae fuit<sup>2</sup>. De eo testatur testis 3, art. 105, et testis 5, iuxta quem fuerat capellanus monasterii S. Clarae et a. 1319 iam mortuus erat in carcere. Berengarius eius colloquium, quo Sanctae Spiritus libertatis doctrinam verbis fallacibus involutam proposuit, refert, ut vidimus<sup>3</sup>.

3. *Petrus Salamonis de Montefalco*, cuius meminit testis 3, art. 105, dum Berengarius substantiam testimonii *Processus* referens, fratris Petri, et hic etiam fratris Jacobi praedicti, nomina omittit<sup>4</sup>.

Fr. Petrus Salamonis in prima condemnatione haereticorum Spiritus libertatis a. 1307 a Card. Napoleone Orsini facta non fuit comprehensus cum immediate post Sanctae mortem (17 aug. 1308) liber adhuc esset, ut patet ex narratione Piergillii, iuxta quem Fr. Petrus Spoletum se con-

<sup>1</sup> *Vita Berengarii*, ed. Faloci, 86; ed. De Töth, 69; et infra, pars II, n. I, 2.

<sup>2</sup> *Vita Berengarii*, II, cc.

<sup>3</sup> Vide supra, cap. I, p. 195.

<sup>4</sup> *Vita Berengarii*, ed. Faloci, 80; ed. De Töth, 61; infra, pars II, n. I, 1.

tulit ut contra signa miraculosa in praecordiis Sanctae post mortem apparentia apud Vicarium generalem Berengarium de S. Africano ediceret<sup>1</sup>.

4. Paulus de Burgo (S. Sepulcri) iuxta testem 5 fuerat capellanus S. Clarae et dicebatur malae famae, qui a. 1319 adhuc vivebat in carcere.

5. Johannutius de Mevania, dictus Pulcinus, confessor Sanctae, qui quatuor annos ante a. 1308, igitur ab anno 1304, videtur fuisse Spiritu libertatis infectus, et quem S. Clara convertisse creditur. Non fuit is captus cum ceteris haeticis, cum Sanctae etiam in morte (1308) astitit. De eo loquuntur testis 2, art. 88 et 112; testis 3, art. 88, Relatio Cardinalium, ubi tamen nomen tacetur<sup>2</sup>. In *Vita* Berengarii, ubi conversationes eius cum S. Clara narrantur, verbis « quidam frater de Mevania ordinis Minorum » designatur<sup>3</sup>.

Sunt igitur quinque Fratres Minores qui in fontibus vitae S. Clarae de Montefalco ut Spiritu libertatis contaminati expresse nominantur. Infra videbimus quod Procurator Ordinis in Curia Romana Avenione admisit septem Fratres Minores ob hanc haeresim poena perpetui carceris punitos fuisse, de quorum numero procul dubio sunt praedicti, excepto forsan Petro Salamonis et Johannutio de Mevania, qui, ut diximus, in condemnatione a. 1307 certe non fuit comprehensus, secus a. 1308 Sanctae in morte non potuisset assistere.

Veri simile est Fratres Bentivengam, Jacobum Capitonis, Paulum de Burgo tempore detectionis haeresis ad con-

<sup>1</sup> Piergilli *Vita* 1985.

<sup>2</sup> Cf. infra, pars II, n. III, 3.

<sup>3</sup> *Vita*, ed. Faloci, 99; ed. Töth, 83; et infra, pars II, n. I, 3.



ventum S. Francisci Montisfalci, usque ad an. 1336 extra muros existentem<sup>1</sup>, pertinuisse. Pro Bentivenga et Jacobo Berengarius de S. Africano hoc patenter innuit, referens ambos post primum colloquium cum Sancta habito nocte appropinquante ad suum conventum, ut venerant, « rediisse », ubi vix alius conventus quam Montisfalci intelligendus est, eo plus quod, ut idem Berengarius addit, « manefacto iidem fratres ad monasterium redierunt<sup>2</sup> ».

Paulus de Burgo, cum esset capellanus monasterii Sanctae Crucis, certo Montefalco morabatur. Fr. Petrus Salamonis de Montefalco bene notus erat S. Clarae, quae eum in visione una cum Fr. Jacobo recognoverat antequam ambo Sanctam simul visitaverunt (testis 3, art. 105). Quare veri simile est et hunc ad conventum Montisfalci pertinuisse, quod ex alio momento suaderi potest. Nam, teste Ubertino de Casali, anno 1305 scribente, fratres eo tempore saepe in conventibus loci originis morabantur et aliunde ortos vix tolerabant<sup>3</sup>. Johannutius de Mevania saltem occasione data Montemfalcum adibat. Conventus igitur S. Francisci Montisfalci, hodie suppressus, centrum erroris Spiritus libertatis fuisse videtur et inde actio S. Clarae in eo primum detegendo melius explicatur.

Ex praedictis iam patet quantum ii rerum scriptores a vero aberraverint, qui haeresim Spiritus libertatis Spirituallibus seu Fratibus Minoribus qui saeculis XIII et XIV pro

<sup>1</sup> Cf. bullam datam 15 iul. 1336, *Bull. Franc.*, VI, 19; vide etiam P. Rod. Tossinianens., *Hist. seraph. Religionis*, Venetiis 1586, f. 254v.

<sup>2</sup> *Vita*, ed. Faloci, 86s.; ed. De Töth, 70, et infra, pars II, n. 1, 2.

<sup>3</sup> Ubertinus de Casali, *Arbor vitae*, Venetiis 1485, V, 3: « Sed quomodo hoc audient qui ad modum magnorum divitum palacia edificant et a terris sue originis vix possunt per suorum prelatorum precepta avelli et ibidem sanctos fratres aliunde ortos sustinere non possunt ».

puritate Regulae S. Francisci modo suo indiscreto et infelici cum exitu pugnabant, tribuere vellent. Quod quantum iniustum sit, ex nostris fontibus luculentissime patet. Nam Fratres Spiritu libertatis imbuti, intra gremium Provinciae S. Francisci apparent. Bentivenga et Jacobus praedicationis officium in Ordine habebant. Alii fuerunt capellani monasterii S. Crucis Montisfalci, quod officium exercere non potuissent nisi a Provincia vel saltem a Guardiano conventus S. Francisci illius oppidi ad illud fuissent deputati; Fr. Johannutius de Mevania « venit ad monasterium, inquit Berengarius, a suo superiore transmissus, ut Clarae confessionem audiret »<sup>1</sup>.

Ceterum Alvarus Pelagius, qui a. 1304 Assisii Ordini Minorum nomen dedit, expressis verbis refert tempore suo in Provincia S. Francisci multos saeculares et Fratres Minores incarceratos fuisse « pro isto carnali spiritu libertatis », et quod caput sectae (Bentivenga) haeresim obscuro modo ipsi (Alvaro Pelagio) manifestavit<sup>2</sup>.

Licet Spirituales seu Zelantes praetextu paupertatis servandae a recto tramite promissae oboedientiae et religiosae erga hierarchiam Ordinis et Ecclesiae submissionis aberraverint et ut plurimum Joachimismi phantasma sint persecuti, non propterea quaecumque mala, etiam sub specie spiritus tunc in Ordine Minorum apparentia, fas est eis imponere, eo minus quod in casu praesenti scimus Provinciam S. Francisci, in finibus Umbriae sitam, prae vicinas Marchiae Anconitanae et Tusciae Provincias a Spiritualium motu eo tempore fere exemptam fuisse.

<sup>1</sup> Vita Berengarii, ed. Faloci, 101; ed. De Töth, 86; et infra, pars II, n. I, 3.

<sup>2</sup> Vide infra, pars II, n. VI.

Quod si postea inter Fraticellos haereticos (= antiquos Spirituales excommunicatos), vel inter Beginos Galliae meridionalis memoriae Petri Johannis Olivi adhaerentes, unus aliusve assecla obscoenitatum Spiritus libertatis in Processibus Inquisitionis apparet<sup>1</sup>, non ideo ipsum motum Spiritualium vel Spirituales de eo crimine licet accusare<sup>2</sup>.

Supra quinque Fratres Minores nominatim eruimus errore Spiritus libertatis implicatos, quibus addendus est Fr. Franciscus « Propheta » de Burgo S. Sepulcri, de quo infra (cap. IV) specialius agemus. Raymundus Fronsacus septem Fratres ob dictum errorem punitos fuisse refert. E contra Arnaldus de Villanova de plus quam 240 personis loquitur in « Tuscia » errori Spiritus libertatis adhaerentibus et propterea punitis<sup>3</sup>. Sed, ut ex contextu liquet, ipse comprehendit hoc numero etiam saeculares viros et feminas haeresi addictos.

Longe vero abest ut Arnaldus de Villanova errorem Spiritus libertatis Fratribus zelantibus seu Spiritualibus attribuat, ut potius aberrationem illam consideret quasi se-

<sup>1</sup> Hos casus infra, in cap. VI tangemus.

<sup>2</sup> Ad rem scite notat Card. F. Ehrle, ALKG IV, 51: « Wohl zu beachten ist ferner die Ähnlichkeit, welche zwischen obigen Anklagen (variae accusationes in Spirituales factae) und den Beschuldigungen besteht, welche in den Inquisitionsacten gegen die Pseudo-apostel Segarellis und Dolcinis sowie gegen einzelne Gruppen der Waldenser vorgebracht werden. Aber trotz dieser eine gewisse Geistesverwandtschaft bezeugenden Ähnlichkeit einiger Lehrsätze, welche sich dazu höchstens auf einzelne Mitglieder einzelner spiritualistischer Gruppen bezieht, ist es doch durchaus nicht statthaft, den ganzen Wust angeblich ähnlicher oder geistesverwandter Secten der Gesamtheit der Spiritualen zur Last zu legen, wie dies der Ordensprocurator Raymund von Fronsac in seiner Actensammlung (ALKG III, 10, cap. 1-21) in gehässigster Weise tut ». Cf. ibid. IV, 178-180, ubi specialius de Spiritu libertatis.

<sup>3</sup> Cf. infra, pars II, n. IV, 2.

quelam apostasiae a paupertate franciscana et ut iustam punitionem.

Cum hoc plene concordat quod de secta Spiritus libertatis disputatum est in magna illa disceptatione in Curia papali a. 1309-1312 inter Communitatem et Spirituales de reformatione vitae franciscanae habita. Spiritualibus Provinciae imprimis quatuor articuli propositi sunt, quorum primus fuit de secta Spiritus libertatis<sup>1</sup>. Spirituales respondent se de hoc nefandissimo errore nihil penitus scire. Rogant vero ut contra eiusmodi erroris asseclas strenue procedatur dicuntque se paratos opus suum in tali causa praestare.

Circa medium annum 1311 Communitas Ordinis ad praedicta respondens longe abest ut Spiritualibus errorem Spiritus libertatis imputet, ut potius valde contenta appareat declarare de eo nullam prorsus esse quaestionem inter partes contendentes et industrie addat Ordinis et Ecclesiae praelatos hac in causa nihil omisisse sed poena perpetui carceris punivisse septem fratres Provinciae S. Francisci suum errorem agnoscentes<sup>2</sup>. Qui textus magis est apologia Ordinis quam Spiritualium accusatio.

Non ita Ubertinus Casalensis qui ad praedicta Communitatis circa mensem augustum a. 1311 respondit. Iuxta ipsum responsio Communitatis per omnia falsa est. Nam imprimis Spirituales non dixerant de errore Spiritus libertatis non esse quaestionem inter partes, sed se de eo nihil scire, si vero esset necessarium, contra tales tota virtute esse procedendum. Addit Ubertinus errorem videri coope-

<sup>1</sup> Cf. ALKG II, 361; III, 142; et textum infra, pars II, n. V, 1.

<sup>2</sup> Cf. ALKG III, 1445. et infra, pars II, n. V, 2.

ri in infectis, econtra erroris exterminatores (inter quos ipse Ubertinus) infamari<sup>1</sup>. Simili modo idem auctor in scripto *Rotulus iste* loquitur de infectis huius haeresis, circa quorum correctionem ministri et praelati alii (Inquisitores?) fuerunt per multa tempora negligentes, dum illi (Ubertino), qui multo labore et periculo eos detexit et punivit, grates referunt persecutiones in eum excitando et eum in pie infamando<sup>2</sup>.

Communitas Ordinis per manus Procuratoris Raymundi Fronsiaci circa mensem martium vel aprillem 1312 iterum respondit, Ordinem defendens a nota negligentiae in reprimendo Spiritu libertatis et partialitatem in diiudicando illos haereticos, quam Ordini obiecerat Ubertinus, in hunc advocatorio modo retorquens: quosdam sibi amicos absolvit qui postea culpabiles inventi sunt, dum alios insontes damnavit, « quos modo relevavit ut innocentes dominus Cremonensis »<sup>3</sup>. Ut postea videbimus<sup>4</sup>, Raynerius episcopus Cremonensis a. 1311 ad negotium Spiritus libertatis a Summo Pontifice deputatus, revera Fr. Franciscum prophetam virtualiter relevavit, sed is a duobus Inquisitoribus condemnatus erat et non ab Ubertino. Si igitur hunc casum prae oculis habet Raymundus Fronsiacus, erravit. Quod vero praelati Ordinis negligentes fuissent in causa Spiritus libertatis, negat Procurator Ordinis, cum contra eundem processissent quam cito de eo scivissent, quae est excusatio sat debilis, cum saltem inde ab anno 1304, et verisimiliter iam antea, error ille in Provincia S. Francisci serpsisset et nemo

<sup>1</sup> Cf. ALKG III, 163 et infra, pars II, n. V, 3.

<sup>2</sup> Cf. ALKG III, 123 et infra, pars II, n. V, 4. Similis accusatio adest in Communitatis scripto *Religiosi viri*, ap. *Arch. Franc. hist.*, VIII, 1915, 76s.

<sup>3</sup> Cf. ALKG III, 124 et infra, pars II, n. V, 5.

<sup>4</sup> Vide cap. IV huius partis I.

in eum insurrexisset, ante S. Clarae de Montefalco denuntiationem.

Ex praedictis vero multiplicibus testimoniis clare patet asseclas Spiritus libertatis initio saec. XIV in Communitate Ordinis intra Provinciam S. Francisci in Valle Spoletana quaerendos esse, minime vero inter Spirituales. Quare falsissimum est quod L. Fumi occasione Processus Reatini in Fraticellum quemdam immoralem, Paulum Zoppum nomine, asserit, nempe Spiritualem esse idem ac asseclam Spiritus libertatis<sup>1</sup>. Curiosius est quod, auctore Felice Tocco, ipsum caput sectae Fr. Bentivenga de Eugubio, iuxta Angelum de Clarino fuisset e numero Spiritualium<sup>2</sup>! Nec rectum esse videtur iudicium P. Callaey, qui Bentivengam in fractione rigorosa Ordinis Minorum maiores invenisse asseclas credit<sup>3</sup>. Imo in parte laxiori, dicere verum fuisset.

Quod vero inter plures centenos Fratres Minores, quibus Provincia S. Francisci tunc proculdubio constabat, septem tantum vel octo infecti erant, monstrat longe maiorem partem ab hoc nefando errore immunem fuisse. Quare assertiones theologi laici Arnaldi de Villanova, qui de aliquibus Provinciis infectis hoc errore loquitur et numerum sat maiorem condemnatorum suggerit, falsae sunt vel ad minus valde exaggeratae.

<sup>1</sup> Paolo Zoppo « si confessò spirituale. e questa confessione ci fa vedere che dirsi spirituale o seguace dello spirito di libertà era tutt'uno », L. Fumi, in *Bollettino della R. deputazione di storia patria per l'Umbria*, V, 1899, 228.

<sup>2</sup> F. Tocco, *Studii Francescani*, Napoli 1909, 233: « La Cronaca delle tribolazioni... racconta pure essersi infiltrato perfino in mezzo ai frati spirituali francescani qualche elemento begardiano, e nomina esplicitamente un frate Bentevenga ».

<sup>3</sup> F. Callaey, *Étude sur Ubertin de Casale*, 49: « C'est dans la fraction rigoriste qu'il faut les chercher [adhærentes Fr. Bentivengæ], car il eut le plus de succès auprès des personae spirituales ». Patet personas spirituales hic generatim personas devotas significare, non vero Spirituales sensu technico sumptos.

### CAPUT III.

## DE BULLA A CLEMENTE V CONTRA SPIRITUM LIBERTATIS EDITA (1311)

De directa S. Sedis actione in secta Spiritus libertatis reprimenda parum scimus. Unica bulla in hoc negotio edita ea est, quae *Dilectus Domini et pacificus Salomon* incipit quamque Clemens V, Avenione 1 apr. 1311, Raynerio episcopo Cremonensi direxit. Hanc Raynaldus, absque initio et prolixo exordio seu introductione, publici iuris fecit<sup>1</sup> ac Monachi Ordinis S. Benedicti a. 1887 integre e Regesto Clementis V ediderunt<sup>2</sup>. Haec bulla, quamvis cognitionem nostram de sectae fatis et doctrina non multum augeat, infra, iuxta Regestum Vaticanum iterum edetur.

De occasione huius bullae ac de missione episcopi Raynerii in proximo capite disceptaturus, hic tantum argumentum eius in se sumptum considerandum est.

Analysis bullae *Dilectus Domini* instituere non est res tam facilis ob ipsam eius indolem vagam indeterminatamque. Generatim loquendo edicere licet quod spes indicationes positivas sive quod historiam, sive quod doctrinam huius sectae attinet, in ea inveniendi, nos penitus fefellit.

<sup>1</sup> Raynaldus, *Annales eccl.*, ad an. 1311, n. 66-70.

<sup>2</sup> *Regestum Clementis Papae V*, cura et studio Monachorum Ordinis S. Benedicti, Annus VI, Romae 1887, n. 7506, p. 423-27.

Inprimis introductio seu *arrenga*, ut aiunt, ultra modum extensa — est parum minus quam media pars totius bullae — quasi exercitatio rhetorica in symbolis et figuris S. Scripturae adhibendis apparet, suntque loci communes qui contra omnem haeresim valent et revera in multis aliis bullis similibus partim occurrunt. Vix paucae quaedam allusiones ad Spiritum libertatis specificè applicandae in hac documenti parte inveniuntur. Quare supervacuum duco in ea diutius immorari.

Neque ipsius bullae expositio facti sub hoc respectu multum magis nobis praebet. Summus Pontifex dolenter auditit quod in nonnullis Italiae partibus, scil. in Spoletana provincia et in circumadiacentibus regionibus, nonnulli ecclesiastici, religiosi mundani et saeculares utriusque sexus novam sectam novumque ritum, quem *libertatis spiritum* vocant, quo quidquid eis libet, licet, assumpserunt, quique animas simplices astute decipiunt.

Quibus haereticis bulla locos Scripturae Sacrae de fine saeculorum 2 Tim. 3, 1-8, applicat. S. Pontifex, populo christiano timens, praeoccupatus est, ne pestis illa latenter serpens, nimis periculose succrescat. Laudat deinde 1 Petr. 2, 15, de vera libertate et citat 2 Petr. 2, 9-10 et 12-19, qui loci homines luxuriosos describunt profligantque. De vera libertate christiana post haec iterum paucis dictis, adducuntur Gal. 5, 12-13; 16-17, et 1 Joan. 3, 3-8, contra perturbatores et peccatores. Non dissimilis est proxima citatio ex epistola canonica Judae 4; 7-8; 11-13. Sequuntur exclamationes et comminationes verbis Job 4, 8-9 et 1 Cor. 5, 3-5, expressae.

Non est igitur a spiritu Domini talis libertas peccandi; in spiritu enim Dei peccatum dimittitur, non committitur.



Sed talis spiritus libertatis est a spiritu tenebrarum, de quo plures loci S. Scripturae adducuntur, et qui vincetur in sanguine Agni. De qua victoria tres pueri, tres ordines in unitate fidelium denotantes, cantabant.

Dispositio vero bullae haec continet.

Cupiens quod talis pestis penitus de Dei Ecclesia abscindatur, Papa in illas partes Raynerium destinat, qui auctoritate pontificia suffultus, nec dignitati, nec statui, nec religioni (legas Ordini) deferat plus quam Deo, sed ubicunque hunc errorem inveniret, eum reprimat et errantes corrigat, reconciliet et, penitentia imposita, eos absolvat. Quod si eos reducere non valeat, procedat « sub modis et forma iustitia mediante », quibus procedi in casibus huius generis consuevit, idest contumaces haereticos brachio tradat saeculari.

Tale igitur est mandatum episcopo Raynerio factum. Unum solum in eo omnino clarum est: directa est bulla in Spiritum libertatis in Valle Spoletana grassantem, cuius aberrationes immundae globatim profligantur et iubentur eradicari. Innuitur quidem nefandum errorem apud viros ecclesiasticos, in Ordinibus religiosi et in saecularibus utriusque sexus asseclas invenisse, sed frustra indicationes particulares in ea quaerimus de erroris origine, de eius auctoribus, de praxi immorali, de doctrinae fundamentis, de singulis erroribus. Ut breviter dicam, si hoc solum documentum de secta haberemus, vix concretum quid de ea scire possemus, nisi morum perversionem e falso libertatis conceptu promanantem.

Quod si proinde valor bullae *Dilectus Domini* pure historice, idest quatenus ipsa ad reconstructionem historiae sectae Spiritus libertatis inservit, consideratae, non est exi-

mius, remanet tamen eius momentum ut vigilantiae Ecclesiae ad Fidei christianae morumque integrorum puritatem conservandam documentum.

Ex alia parte quaerere licet: Ignoravitne Curia Avenionensis omnia particularia circa sectam et habuitne vagum de ea conceptum? Difficile est hoc credere postquam paucis ante annis Card. Napoleo Orsini, praevia S. Clarae de Montefalco denuntiatione, in erroris principales auctores fecerat processum, in quo Fr. Ubertinus de Casali perversa eorum dogmata iuridice statuerat, et insuper in disceptationibus Avenionensibus de paupertate franciscana inde ab anno 1309 habitis saepius, ut vidimus<sup>1</sup>, de ea secta disputatum est.

Quidquid id est, addendum utile iudico, quod in bulla unice sermo fit de Spiritu libertatis, pluries expresse nominato, et quod haec haeresis cum aliis, ut Begardorum, Dulcinistarum, Amalricianorum seu spiritus liberi, nullo modo confunditur, sicut saeculis posterioribus saepe evenit. Ipsius Raynaldi huius bullae commentarius est penitus extraviam<sup>2</sup>.

Aliud demum observandum: nulla alia bulla, quae hac in causa Spiritus libertatis praecessisset, commemoratur, quod tamen iuxta stilum Curiae factum fuisset, si alia bulla exstitisset. Quare attendenda non videtur sententia Card. Ehrle<sup>3</sup>, qui bullam Bonifatii VIII *Nuper ad audientiam*, Ananiae 1 aug. 1296, a Raynaldo editam<sup>4</sup>, contra sectam

<sup>1</sup> Cf. supra. cap. II. p. 345.

<sup>2</sup> Raynaldus, *Annales eccl.*, ad an. 1311, n. 71.

<sup>3</sup> Ehrle, in ALKG II, 155, nota 4.

<sup>4</sup> Raynaldus, *Annales eccl.*, ad an. 1296, n. 34. Raynaldus ipse bullam *Nuper ad audientiam* forsitan directam credit in Fraticellos, qui tamen a. 1296 sensu tecnico nondum existebant: Sbaralea, *Bull. Franc.*, IV, 435, nota c, contra Bizochos directam existimavit.

Spiritus libertatis (seu ut Ehrle dicit: spiritus liberi) directam credit. Commemorantur quidem in dicta bulla quaedam obscoenitates, sed et multa alia perversa dogmata, quorum apud Spiritum libertatis nullum invenitur vestigium, ex gr. quod feminae habent absolvendi a peccatis potestatem, et quod mulieres invicem se desponsant. Deinde ipsa bulla *Nuper ad adientiam* non est directa specialiter contra sectam alicuius regionis, ex. gr. Vallis Spoletanae, sed sine ulla determinatione geographica apparet. Rationes demum chronologicae possunt etiam contra sententiam Card. Ehrle afferri: bulla illa data est a. 1296, dum secta Spiritus libertatis in Umbria primis tantum saeculi XIV annis detecta fuit, quamquam radices verisimiliter ultimo saeculi praecedentis lustro ibi iam immiserat.

Bullae *Dilectus Domini* exemplar originale exeditum hucusque non est inventum. Transcriptio vero in Reg. Vat. 58 (de Curia), ep. 37, f. 280v-282r habetur, sed sat negliger facta apparet. Quaedam sunt certe mendosa quae Raynaldus tacite correxit, dum ipse Raynaldus, vel potius eius amanuensis, locos quosdam male legit. Fidelior est transcriptio Monachorum Ordinis S. Benedicti. Reproducentes infra<sup>1</sup> integrae bullae textum Reg. Vat. secuti sumus fideliter, correctiones in adnotationibus indicantes.

Examinata bulla a Clemente V contra Spiritum libertatis edita, videndum est nunc quomodo Raynerius episcopus Cremonensis, cui illa directa erat, mandatum acceptum executus sit, quod fit in capite sequente.

<sup>1</sup> Vide infra, pars II, n. VII.

#### CAPUT IV.

### DE PROCESSU CONTRA FR. FRANCISCUM DE BURGO S. SEPULCRI INSTRUCTO (1311)

S. Clarae de Montefalco denuntiatione et capitem Spiritus libertatis damnatione inde consequente haeresim opprobriosam statim non eradicatam fuisse, Processus ultiores Inquisitionis clare demonstrant. Horum vero unus solus et quidem, uti videtur, ultimus, in Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri<sup>1</sup> factus, nobis conservatus est, quem Raynerius de Casulo, episcopus Cremonensis (1296-1312) (1313)<sup>2</sup>, Assisii in Sacro Conventu die 29 nov. 1311 instituit, quemque hic examini subiciemus.

Raynerius episcopus Cremonensis a Clemente V, uti in capite praecedente dictum est, in Spoletanam Provinciam et circumadiacentes regiones ut Inquisitor est missus ad pestem Spiritus libertatis extirpandam, bulla data 1 apr.

<sup>1</sup> Non est is confundendus cum homonymo aequali Fr. Francisco de Burgo S. Sepulcri, missionario et martyre Taurisii Persarum, de quo Wadding, *Annales Minorum*, ed. 3, VI. 109, nota 3; 680; VII, 714; G. Golubovich, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell'Oriente francescano*, III. 72, nota 5; 182. Annus martyrii huius Fratris ignoratur, sed omnia suadent id circa saeculi XIV initium accidisse.

<sup>2</sup> De eo cf. C. Eubel, *Hierarchia catholica*, I<sup>a</sup>, 214; Ughelli, *Italia Sacra*, ed. 2, IV. 610, qui tamen episcopatum ad annum 1317 falso protrahit; recte Gams, *Series episcoporum*, 790. Raynerius Bonifatii VIII fuerat capellanus, quare in Curia consecratus est et quidem a Card. Matthaeo ab Aquasparta, ut ex Regesto Vaticano, anno II Bonifatii VIII, epist. 181, f. 39, refert Ughelli l. c.

1311, igitur quatuor annos post Processum in Bentivengam de Eugubio a Card. Napoleone Orsini instructum.

Qualis huius missionis fuerit occasio immediata, penitus ignoramus. Veri simile tamen apparet supradictis inter Spirituales et Ordinis Minorum Communitatem discussionibus habitis in Curia papali, huius attentionem ad causam Spiritus libertatis attractam fuisse. Ex alia parte optime potest esse, quod Curia de dicta haeresi in Umbria nondum superata informationes directas, vel demum, considerato exitu Processus contra Franciscum de Burgo S. Sepulcri instituti, huius appellationem accepit. Quidquid id est, attentione nostra dignum esse iudico, quod Summus Pontifex Inquisitorem specialem, qui non esset ex Ordine Minorum, in Umbriam destinavit, ubi Fratres Minores officio Inquisitionis ordinarie fungebantur.

Quaenam novus Inquisitor in singulis egerit, comperit non habemus. Superest tamen unum documentum, Processus nimirum Assisii a. 1311 institutus, quo Raynerius in causa dictae haeresis intervenit et quidem in favorem cuiusdam imputati durius condemnati.

Etenim, ut ex dicto documento eruitur, a Gundisalvo Hispano Ministro Generali duo Visitatores Provinciae S. Francisci seu Umbriae instituti erant, quod procul dubio immediate post denuntiationem S. Clarae de Montefalco et condemnationem asseclarum principalium Spiritus libertatis, igitur annis 1307-1308, accidit. Est haec illa actio in Spiritum libertatis, de qua Raymundus Fronsiacus in scriptis contra Ubertini de Casali accusationes negligentiae gloriatur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. II, p. 35, et infra, pars II, V; n. 5.

Duo Visitatores illi extraordinarii Provinciae S. Francisci viri erant periti atque ad hoc negotium apte electi, quippe qui ambo officio Inquisitoris iam functi erant, nempe Fr. Grimaldus a Prato et Fr. Guido de Tuschis de Bononia, de quibus quaedam praemittere iuvat.

Fr. Grimaldus de Prato bis fuit Inquisitor Tusciae cum sede Florentiae, scil. a. 1300-1302, 1310-1315; c. 1308-1311 fuit Minister Provinciae Januensis et ut talis nominatus in nostro documento. Etiam postquam ab officio Inquisitionis cessavit, non raro in rebus ad illud attinentibus nominatur. Obiit a. 1340 Prati ubi in ecclesia S. Francisci sepultus est<sup>1</sup>.

Fr. Guido de Tuschis de Bononia in Actis conventus Bononiensis inter a. 1286 et 1298 saepe commemoratur<sup>2</sup> et quidem 27 iun. 1293 ut Lector Placentiae<sup>3</sup>, 22 iul. 1293 adest Florentiae<sup>4</sup>, 17 nov. 1296 est Lector Mutinae<sup>5</sup>, ceterum vero degit Bononiae. Fuit deinde institutus Inquisitor in Romandiola et ut talis die 21 mart. 1302 in Consilio generali Communis Arimini circa 40 officiales Inquisitionis nominat<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Nic. Papini, *L'Etruria francescana*, Siena 1797, p. 57 et p. 114, parum praecisus est de eo. Melius Gerol. Biscaro in *Studi Medievali*, 1935, 207. Cf. etiam Ant. de Terrinca, *Theatrum etrusco-minoriticum*, Florentiae 1682, 140; L. Fumi, *Bollettino della R. deputazione di storia patria per l'Umbria*, V. 1899, 287; C. Eubel, *Bull. Franc.*, V. 96, nota 6; 350, nota 3; idem, *Epitome Bull. Franc.*, Quaracchi 1908, p. 307. Apud *Studi Francescani*, S. III, vol. III, 1931, 1935.. litteras a Card. Matthaeo ab Aquasparta Legato in Tuscia die 1 iul. 1301 ad Fr. Grimaldum Inquisitorem datas edidi. Nic. Papini, *Notizie sicure*, ed. 2, Foligno 1824, 264-6, partim edidit appellationem Spiritualium Tusciae, 7 iul. 1313, contra sententiam a Fr. Grimaldo et episcopo Florentino in eos latam.

<sup>2</sup> Cf. *Anal. Franc.*, IX, 795 (Index).

<sup>3</sup> L. c. 282.

<sup>4</sup> L. c. 285.

<sup>5</sup> L. c. 354.

<sup>6</sup> Documentum editum est in opere: *De haereticis D. Zanchini Ugolini*

De duorum Visitorum actione nihil scimus, nisi quod Processum in Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri, Prophetam dictum « suspectum et infamatum labe erroris qui dicitur Spiritus libertatis » instituerunt. Quem quidem Processum non habemus sed ex nostro documento et alio ex fonte eum partim possumus reconstruere. Raymundus de Fronsiano enim dictum Processum prae oculis habuisse videtur, cum Indicem collectionis Actuum compilaret, in quam post Fr. Bentivengae commemorationem, Confessionem Fr. Francisci de Burgo recepit.

Scribit enim <sup>1</sup>: « In XX capitulo ponitur confessio fratris Francisci prophete, qui ponit gradus principii ab inchoatione

*Senae Ariminen. Iur. Consul. Clariss. Tractatus aureus cum locupletissimis additionibus et summariis R. P. F. Camilli Campegii Papien. Ord. Praed., Romae, apud Haeredes Antonii Bladii, 1568, in Introductione. Alia editio eiusdem operis facta est Romae 1579. Tractatus de haereticis Zanchini Ugo. lini, iudicante Lea, II, 242, unus e melioribus existentium, circa 1320-1330 compositus est pro Inquisitore Romandiolae, Donato a Sancta Agatha O. F. M., ut ipse auctor tradit in Praefatione, p. I utriusque editionis: « Sancti Spiritus gratia invocata, ad honorem et laudem omnipotentis Dei et pretiosi redemptoris nostri eius filii Iesu Christi ac Virginis gloriosae matris suae et omnium Sanctorum et Sanctarum coelestis curiae, necnon ad augmentum nostrae fidei orthodoxae et ad expeditiorem instructionem Religiosi et honesti viri Fratris Donati de Sancta Agatha Ordinis Minorum Inquisitoris haereticae pravitatis in Provincia Romandiolae. Qui implicitus circa divina et insistens studiis sacrae paginae, nequit vacare doctrinae iuris canonici et civilis, per quae iura posset plenius instrui in commissis. Et ut noscat quae conveniunt, ne contingat eum a semita iustitiae deviare in sententiis vel processu: Ego Zanchinus Ugolini Senae de porta Sancti Petri de Arimino, minimus Advocatus, ipsius Domini Inquisitoris spiritualis filius et devotus, duxi hunc compendiosum tractatum super materia haereticorum breviter compilandum, non tamen dicens ex me subtilia neque nova, sed potius commemorans et in unum colligens iam dicta per alios nostros maiores, auctoritatis et fidei approbatae, allegando iura civilia et canonica, prout Dominus ministrabit... » — Tractatus iste, post Petr. Rod. Tossinianensem, *Hist. seraph. Relig.*, Venetiis 1586, f. 313v, Fr. Donato de S. Agatha saepe falso adscriptus est.*

<sup>1</sup> ALKG III, 115.

spiritualis vite usque ad carnis fedtatem. Ponit enim idem Franciscus, quod spiritus sanctus aliquibus inspirat vias perfectionis.

Illi<sup>1</sup> ergo qui ducuntur lucis angelo precedente ad summam perveniunt mentis serenitatem ac profundam humilitatem, et cum virtutum attingunt verticem cum beato Paulo apostolo, qui in tertium raptus fuerat celum, asserunt de seipsis 1 Thim. 1<sup>2</sup>: Christus Ihesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus, id est maior, ego sum. Et beatus Franciscus, cui iam solium excelsum et elevatum erat propter humilitatem inter angelos preparatum dixit<sup>3</sup>: « Videor, inquit, michi maximus peccatorum ».

« Alii vero, quos seducit angelus tenebrarum se in lucis angelum transfigurans et ut eos impediat, ne pertingant ad gloriam, quam ipse per superbiam perdidit, per viam superbie deducuntur sic, ut in hiis, que agere inceperunt bonis, querant inanis glorie bonitatem. Ex hoc cadunt in vestium et actuum singularitatem, ex hac in iudicii oblitatem (!) alios condemnando, ex hac in temerariam sui securitatem; credunt enim se non posse decipi vel peccare; ex hac incidunt in inverecundam familiaritatem, et ex hac in carnis horribilem fedtatem, et cum spiritu ceperint, carne vilissime consummantur; cumque in principio suorum actuum cantare ceperint: Credo in Deum, finaliter legunt : carnis resurrectionem. Nam ut dicit Gregorius, ut est de pe. d. II<sup>4</sup>: « Ostensa

<sup>1</sup> Quae hic sequuntur, verba refutationis ipsius Raymundi Fronsiaci esse apparent.

<sup>2</sup> Vers. 15.

<sup>3</sup> II Celani II, 86; S. Bonaventura, *Leg. mai.*, VI, 6.

<sup>4</sup> *Decretum Gratiani*, pars II, causa XXXIII, q. 3, seu *de penitentia*, dist. II, c. 44 *Citius*; ex *Lib. mor.*, 34, 15. Migne P. L. 76, 734.



diu castitas circa finem vite perditur, quia cooperta superbia usque in finem incorrecta retinetur ».

In praecitato textu Raymundus Fronsiacus doctrinam Fr. Francisci prophetae clare et distincte non tam tradit quam potius refutat. Apparet vero reum placita Spiritus libertatis aperte et in omnibus non docuisse, sed principia eius duxisse ad eundem, ut per viam deductionis Procurator Ordinis Raymundus demonstrat. « Credunt enim, inquit, se non posse decipi vel peccare ». Habemus igitur hic impeccabilitatem, quae ex supposito sublimi perfectionis gradu oritur. Ex hac falsa securitate minus cauti fiunt, inquit Fronsiacus, contrahunt inverecundam familiaritatem et inde in carnis incidunt lapsus. Non igitur Franciscus propheta docebat peccatum carnale non esse peccatum, sicut Spiritus libertatis asserebat, sed simpliciter impeccabilitatem. Eius Quietismus proinde accedit ad illum quem saeculis posterioribus profitebatur Fenelon potius quam ad Quietismum immoralem quem Molinos docebat, quamvis in consequentiis ad hunc perveniat.

Quare autem Fr. Franciscus vocetur *Propheta*, non liquet, cum hac de re tum Raymundus de Fronsiasco tum ipse Processus sileant. Forsan non erat nisi cognomen vulgare, absque relatione ad eius doctrinam. Minus recte igitur Lea Franciscum nostrum dona prophetiae sibi arrogasse affirmat, eumque probabiliter fuisse Joachimitam tuscum inoboedientem autumat, dum ex alia parte de Francisci cum Spiritu libertatis connexu penitus tacet<sup>1</sup>.

Revera duo Visitatores, uti ex Processu constat, Fr. Fran-

<sup>1</sup> Lea, III, 63, in nota: « Fra Francesco del Borgo San Sepolcro, who was tried by the Inquisition at Assisi in 1311 for assuming gifts of prophecy, was probably a Tuscan Joachite who refused submission ».

ciscum ad carcerem condemnauerunt, quia de haeresi Spiritus libertatis erat suspectus et infamatus, postea vero sententiam mitigauerunt. Insuper prohibuerunt quominus dictus Franciscus infra Custodiarum Assisiensis et Castellanae fines morari posset vel etiam ad eas accederet, unde inferre licet reum antea in illis partibus moratum esse ibique suspicionem Spiritus libertatis incurrisse, verisimiliter ex eius sermonibus publicis; nam quod praedicator fuerit, in ipso Processu clare innuitur.

Inquisitor Raynerius Cremonensis, sententia Visitorum, ipsius Fr. Francisci confessione et testibus denuo examinatis, reum «acrius disciplinatum» repperit. Ipse enim Fr. Franciscus suo iuramento, uti videtur, coram episcopo emisso, firmiter asseruit se ab infectis Spiritu libertatis calumniatum fuisse, quia ipse quaedam ad eos detegendos dixerat.

Quibus omnibus ac praeterea rei infirmitate consideratis, Inquisitor praecedentem sententiam non penitus sustulit, sed plurimum reformavit. Inprimis Fr. Franciscum e domo (carcere?), in qua detinebatur, in aliam a Ministro Provinciali assignandam domum saniozem transferri iussit, in qua maiore etiam libertate gauderet, prout in singulis indicatur. Exclusionem vero e Custodiis Assisiensi et Castellana ad tres annos restrinxit episcopus. Deinde in proximo Capitulo provinciali totum negotium Fr. Francisci debet expediri, i. e. iuxta mentem iudicis, reus absolvi debet, nam nisi hoc fiat, ipse «ex nunc prout ex tunc» eum absolvit. Dicitur vero Fr. Franciscus iubetur, postquam licentiam iterum obtinuerit praedicandi, confundere et detestari «errores et maxime errorem Spiritus libertatis» et ita vivere ut omne scandalum et suspicio deleantur.

Dictam sententiam Raynerius pronuntiavit Assisii, in aula palatii papalis, (quod est pars Sacri Conventus), praesentibus ipso Fr. Francisco, Fr. Jacobo de Tundo de Senis Ministro Provinciali Umbriae, Fr. Andrea de Eugubio Custode Sacri Conventus, aliisque fratribus et laicis testibus.

Raymundus Fronsiacus de hac sententia loqui videtur dicens dominum Cremonensem quosdam relevasse de Spiritu libertatis, quos Ubertinus de Casali durius condemnasset<sup>1</sup>. Eo magis miramur quod idem Raymundus c. a. 1318-19 confessionem Francisci de Burgo inter Acta sectarum recepit, tacita virtuali absolutione a iudice impartiali, a factionibus alieno, pronuntiata.

Aliud liceat observare circa Fr. Raymundi de Fronsiasco relationem de Francisco propheta in Indice collectionis Actuum. Quamvis omnino patuisset Spirituales nihil cum Spiritu libertatis commune habuisse et ipse Fronsiacus de hac re non esse quaestionem inter partes confessus esset, in supra laudato textu Indicis Actuum, videtur Fr. Francisco de Burgo Spiritualium animum ascribere, cum dicat tales quaerere inanem gloriam, ex qua cadunt in vestium et actuum singularitatem, aliosque condemnant. Sed haec e Processu Fr. Francisci minime constant; sunt igitur potius ipsius auctoris considerationes deductionesque et nonnisi ut tales aestimandae.

Documentum originale Processus Francisci de Burgo, Prophetae dicti, a. 1930 inveni Perusiae, in Bibliotheca municipali, *Pergamene S. Francesco al Prato, mazzo 50*, mm. 480 × 470, non computata plica, ex qua sigillum pendebat quod nunc desideratur, dum superest taeniola. Membrana

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. II. p. 35. et infra, pars II: n. V: 5.

intus creta praeparata est. Littera initialis J parum ornata est. In dorso membranae manu synchrona legitur: *Sententia Fr. Francisci prophete*, manu recentiori: 1311, 29 octobris.

Instrumentum ab Ildibrandino quondam Odini de Casulis, imperiali auctoritate iudice ordinario ac notario redactum est.

Documentum hoc cognovit Felix Ciatti O. M. Conv. († 1642) in opere inedito *Annales Ordinis Minorum*, ad an. 1311<sup>1</sup>, unde alii de Francisco Propheta obiter loquentes hauserunt, ut Augustinus de Stronconio O. F. M.<sup>2</sup>, Nic. Papini, O. M. Conv.<sup>3</sup>, Bonav. Bartolomasi O. M. Conv.<sup>4</sup>.

Refero hic verba P. Ciatti:

« Grassabatur per universam Italiam haeresis de Spiritu libertatis, quam fovebant Fratres illi, qui praetextu severioris vitae, et arctioris observantiae suis recusabant obedire praelatis: unde Pontifex per universas Religionis Provincias Visitatores Apostolicos et commissarios ablegaverat. Venerant in D. Francisci Provinciam Visitatores, P. F. Grimaldus de Grimaldis Genuensis, illius Provincie Minister, et Fr. Guido de Thuschis, qui, ut alios multos, ita pre ceteris quemdam F. Franciscum de Burgo S. Sepulchri, qui se iactabat et cognominabat *Prophetam*, severe punierunt, et carcere manciparunt. At cum F. Franciscus et penis et car-

<sup>1</sup> Ms. in Archivo generali O. M. Conv., Romae, ad 12 Apostolorum, C. 104, vol. I, ad an. 1311. Textum mecum perhumane communicavit A. R. P. Joseph Abate O. M. Conv., cui gratias publicas ago. De Felice Ciatti cf. Sbaralea, *Suppl. ad Scriptores*, ed. Nardecchia, I, Romae 1908, 250.

<sup>2</sup> Agostino da Stroncone. *L'Umbria Serafica*, all'anno 1311. ap. *Miscellanea Francescana*, III, 1888, 124.

<sup>3</sup> Nic. Papini, *L'Etruria francescana*, Siena 1797, 10.

<sup>4</sup> Bonav. Bartolomasi, *Series chronologica historica ministrorum Provincialium... qui seraphicam S. P. N. Francisci Provinciam dictam quoque de Umbria... administrarunt*, Romae 1824, 15. et idem ap. *Miscell. Franc.*, XXXII, 1932, 207.

cere pressus infirmaretur, habito recurso ad Rainerium Episcopum Cremonensem a Sede Apostolica specialiter deputatum Inquisitorem contra hereticos de *spiritu libertatis*, fuit sua penitentia aliquantulum relaxatus; obtenta concionandi facultate; per sententiam latam Assisii in aula Palatii Papalis loci S. Francisci de Assisio, presentibus f. Jacobo de Senis Provinciali Ministro, F. Andrea de Eugubio Custode dicti loci, et aliis fratribus. — Originale custoditur Perusiae in nostro tabulario signatum XXVIII<sup>1</sup> ».

In relatione hac P. Ciatti quaedam minus recte dixit. Nam imprimis valde exaggerat dicens Spiritum libertatis per universam grassatum esse Italiam, dum e fontibus constat eundem fere unice vel saltem principaliter in Provincia S. Francisci propagatum fuisse. Deinde exemplum Raymundi Fronsiaci, quem parum ante carpsimus, sequens, Spiritum libertatis Fratribus zelantibus seu Spiritualibus vellet attribuere, quod quantum a vero absit, supra vidimus.

<sup>1</sup> In suppressione conventuum documentum hoc una cum aliis ad bibliothecam publicam Perusinam pervenit.

## CAPUT V.

### DE DOCTRINA SPIRITUS LIBERTATIS.

Doctrinae Spiritus libertatis fontes directi, idest ipsorum haereticorum scripta vel saltem testimonia oralia non ad sunt, cum Processus in eos facti ad nos non pervenerint, si unice excipias Processum alterum Francisci « Prophetae » de Burgo S. Sepulcri, qui tamen circa doctrinam nihil fere continet. Raymundus de Fronsiasco quidem, ut in capite praecedente dictum est, e priore Processu prae se habuit Confessionem Fr. Francisci, sed eius argumentum nos divinare tantum sinit. Bulla quoque Clementis V *Dilectus Domini* supra, cap. III, discussa sectae placita clare et distincte non tradit, sed modo vago abusus e falso libertatis conceptu profluentes innuit.

Restant Processus canonizationis S. Clarae, Vita eiusdem Sanctae auctore Berengario et in minori gradu Relatio Cardinalium, quae notabilia circa sectae doctrinam testimonia praebent ac sunt velut Commentarii ad ea quae scriptores catholici illius temporis de eadem secta tradunt. Tales scriptores sunt potissimum Ubertinus de Casali, Alvarus Pelagius et auctor sive auctores cuiusdam Manualis Inquisitorum Tusciae saeculi XIV.

Habemus igitur testimonia sufficientia ad doctrinam

specificam sectae Spiritus libertatis determinandam, ex qua confirmatur plene quod, si secta ista cum aliis similibus habet quidem puncta communia, male tamen cum eisdem confunditur, quippe quae indolem habet propriam, licet non multo originalem.

Examinatis itaque punctis doctrinalibus traditis a singulis fontibus, concordiam et discrepantiam relate ad aliorum haeticorum consimilium placita stabilire tentabimus.

Testimonium omnium antiquissimum doctrinae Spiritus libertatis est illud Ubertini de Casali in *Arbore Vitae* anno 1305 in Monte Alverna composita, quod testimonium omnes qui hucusque hac de re scripserunt, fugit. Invenitur in libro IV, capp. 7, 36, 37<sup>1</sup>. Utique in capp. 7 et 36 Spiritus libertatis expressis verbis non nominatur, bene vero in cap. 37, in quo ad praecedentes locos amandat auctor, quo certi sumus etiam in prioribus duobus capitibus eadem de doctrina agi, quod ceterum ex argumento ipso iam patere potest.

Ubertinus annis immediate praecedentibus in Umbria (Perusiae) praedicaverat plurimum et ex hac mora et praxi pastoralis Spiritum libertatis ibi occulte iam serpentem procul dubio cognovit, licet non plene. Nam si plenius cognovisset, non solum eius perversum Quietismum perstringisset sed et turpitudines inde sequentes fortius profligasset. Non est tamen absque momento quod Ubertinus fundamentalem aberrationem sectae, Quietismum nempe, iam tum clare perspexit et valide impugnavit<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Vide textus infra, in parte II, n. X, I, ex unica editione Venetiis 1485.

<sup>2</sup> — Liber IV *Arboris Vitae* ante ceteros libros magni operis completus est; cf. Prolog. I, versus finem.

<sup>3</sup> Mirum est Ubertinum Quietismum acriter debellantem accusari Qui-

Errores Spiritus libertatis quos ex *Arbore Vitae* distincte eruere licet, sunt sequentes:

1. Insensibilitas erga Passionem Christi et afflictionem proximi seu incuria de Dei iniuria et de proximi angustiis, et quidem « sub specie quietudinis ».

2. Impeccabilitas, qua gaudent homines gratiam Dei et charitatem habentes.

3. Negatio liberi arbitrii: « volunt quod quidquid facimus sit a gratia, ac per hoc comedere et fornicari et similia dicunt in nobis non esse culpas, quia gratia movet ad ista ».

Iuxta Ubertinum de Casali igitur doctrina fundamentalis Spiritus libertatis est falsus Quietismus, impeccabilitas, negatio liberi arbitrii, quae omnia intime cohaerent.

Alvarus Pelagius circa 1332 opus *De planctu ecclesiae* scribens, uti iam dictum est, Spiritum libertatis cum secta Begardorum confundit. Nihilominus pretiosas quasdam de Spiritu libertatis praebet indicationes. Quod doctrinam Spiritus libertatis attinet, ipse octo Begardorum errores enumerans<sup>1</sup> de quatuor horum expresse dicit quod sunt Spiritus libertatis, nimirum 2. 3. 6. 7. Sed tota haec enumeratio desumpta est fere ad litteram ex Clementinis, c. 3, *Ad nostrum* (V, 3) contra Begardos et Beguinas Alemaniae in Concilio Viennensi (1312) edito<sup>2</sup>. Etiam ibi, in errore scilicet

tismi a Johanne Gerson, cuius verba approbando repetit Nic. Papini, *Notizie sicure*, ed. 2, Foligno 1824, 206.

<sup>1</sup> Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae*, II, 52, ed. Venetiis 1560, f. 110ra ss.; cf. textum infra, pars II. n. X, 2.

<sup>2</sup> De Begardis cf. I. L. Mosheim, *De beghardis et beguinabus commentarius*, ed. Martini, Lipsiae 1790. De circumstantiis vero, quae ad decretum *Ad nostram* faciendum conduxerunt cf. Ewald Müller, O. F. M., *Das Konzil von Vienne 1311-1312. Seine Quellen und seine Geschichte*, Münster in W. 1934, 577-87. Quod doctrina ibi condemnata etiam in Italia (Spiritus libertatis) propagata fuerit, auctorem fugit.



tertio, sermo est de Spiritu libertatis. Ex quo sicut ex commentario a Pelagio hinc inde addito liquet duas sectas revera valde fuisse affines quoad dogmata, licet diversas in origine et propagatione.

Qui igitur ex octo illis erroribus Spiritui libertatis ab Alvaro Pelagio expresse attribuuntur, sunt succincte sequentes:

1. Inutilis est oratio vel ieiunium homini tam perfecto, qui corpori potest concedere quidquid placet.
2. Qui sunt in praedicto gradu perfectionis non sunt subiecti humanae obedientiae, iuxta verba S. Pauli (Gal. 5, 18): *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.*
3. Se exercere in actibus virtutum est hominis imperfecti.
4. Osculari mulierem cum ad hoc natura non inclinet, est peccatum mortale, actus autem carnalis cum ad hoc natura inclinet, non est peccatum.

Quibus et primus error Begardorum adiungendus est nempe:

5. Impeccabilitas ex altissimo gradu perfectionis oriens. Ex iis demum quae Alvarus Pelagius alio loco de sectae auctore Bentivenga de Eugubio narrat<sup>1</sup>, patet:

#### 6. Quietismus.

Fundamentalia igitur capita doctrinae Spiritus libertatis, ad quae cetera omnia reducuntur, iuxta Alvarum Pelagium, sicut iuxta Ubertinum de Casali, sunt Quietismus et Impeccabilitas.

Idem Alvarus Pelagius aliud etiam opus scripsit, cui titulus *Collyrium adversus haereses novas*, maximam partem

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. I, p. 23.

ineditum<sup>1</sup>, in quo ex professo haereses profligat et doctrinas politicas antipapales sui temporis refutat. Ortum est hoc opus post annum 1344, idest post *De planctu ecclesiae* et post *Speculum regum*, in *Collyrio* laudata. In exemplari Ms. quo usus sum, scil. cod. Ottobon. lat. 2795 Bibliothecae Vaticanae, membr. saec. XIV<sup>2</sup>, nullam inventionem explicitam sectae Spiritus libertatis, sed eius errores sive anonyme sive Begardorum et « Apostolorum » sub nomine, fere omnes recensentur. Infra, Parte II, textus quosdam e *Collyrio* edam errores Spiritus libertatis continentes<sup>3</sup>, et non potest esse dubium, quin auctor etiam huius sectae asseclas, cum Begardis et Apostolicis confusus, in mente habuerit. Errores hi breviter ita possunt resumiri.

1. Si Deus non vellet, non peccaret homo.
2. Coniunctio carnis soluti cum soluta non est peccatum mortale.
3. In hac vita quis potest crescere in gratia et esse perfectus tantum, quod efficitur impeccabilis.
4. Homo perfectus ieiunare non tenetur.
5. Homo perfectus oboedire non tenetur homini, nec obligatur ad ecclesiae praecepta.
6. Se exercere in actibus virtutum est hominis imperfecti.

Est igitur hic elenchus repetitio errorum in *De planctu ecclesiae* sectae Spiritus libertatis explicite iam attributo-

<sup>1</sup> Textus quosdam ex eo edidit R. Scho'z, *Unbekannte kirchenpolitische Streitschriften aus der Zeit Ludwigs des Bayern (1327-1354)*, II, Rom 1914, 491-514; cf. *ibid.* I, Rom 1911, 198-202. Cf. etiam A. Amaro, O. F. M., in *Archivo Ibero-Americano*, V, 1916, I, 203-211.

<sup>2</sup> Alii codices indicantur a Scho'z, l. c. I, 198<sup>1</sup>; Amaro l. c. 210.

<sup>3</sup> Cf. infra, pars II, n. X, 3.

rum. Cur autem auctor sectam explicite hic non nominaverit, me fugit.

Ex Processu canonizationis S. Clarae de Montefalco pariter desumere possumus quaedam circa doctrinam Spiritus libertatis. Testis 4, Fr. Franciscus Damiani, frater Sanctae germanus, qui fuit theologus, melius hac de re edixit quam sorores testes. Ex eorum effatis sequentes errores possunt stabiliri<sup>1</sup>:

1. Quietismus (testes 2, 3).
2. Impeccabilitas (testes 2, 4).
3. Anima videns offendi Deum non turbatur (testes 2, 3).
4. Ille est melior et excellentior qui in peccatis remorsum non habet (testis 4).
5. Creatura nihil agit nisi in quantum agere facit eam Deus et remorsum de peccatis non debet habere, quia totum est a Deo (testis 4).
6. Unusquisque in tantum est peccator, in quantum peccare credit (testis 4) (idest in quantum turbatur).

Iuxta testimonia haec fundamentum doctrinae Spiritus libertatis iterum falsus Quietismus apparet (n. 1), ex quo alii errores (n. 2, 3, 4, 6) defluunt; insuper conceptus errorneus concursus gratiae Dei in actibus humanis, idest negatio liberi arbitrii in homine (n. 5). Testes Processus canonizationis S. Clarae et Ubertinus de Casali aspectui practico magis insistunt, dum errores apud Alvarum Pelagium et Decretalem Clementis V enumerati ex idea hominis summe perfecti procedunt, quod doctrinae Fr. Francisci de Burgo S. Sepulcri etiam correspondere videtur. Sed utrum-

<sup>1</sup> Cf. textus infra, pars II, n. II.

que systema, Quietismus et Impeccabilitas, ad easdem consequentias et aberrationes immorales necessario conducit.

Ad Quietismum quoque reducuntur principia quae Fr. Jacobus de Montefalco primum, deinde Bentivenga S. Clarae de Montefalco proposuerunt ac de quibus supra in cap. I iam dictum est. Nova tamen ibi est sententia « Infernus non est », quae Amalricianis etiam tribuitur<sup>1</sup>, et suo modo quibusdam Catharis Galliae meridionalis saeculi XIV<sup>2</sup>. Quod vero Spiritus libertatis adepti errorem hunc professi sunt, elenchus eorum errorum in *Codice Casanatensi*, de quo statim dicturi sumus, pariter testatur.

Codex Inquisitionis Tusciae (Bibl. Casanatensis cod. 1730 (A. IV, 49)<sup>3</sup> elenchum praebet errorum Spiritus libertatis, quos nos numeravimus, et sunt novem, quorum argumentum succinctum hoc est<sup>4</sup>:

1. Negatio damnationis aeternae.
2. Nullum est peccatum seu vitium, et Deus non of-

<sup>1</sup> « Negabant resurrectionem corporum. dicentes nihil esse paradysum, neque infernum... » Caesarius Heisterbacensis, *Dialogus miraculorum*, Dist. V, cap. 22, ed. J. Strange, Coloniae 1851, t. I, 304. Cf. etiam G. C. Capelle, *Amaury de Bène. Étude sur son Panthéisme formel*, Paris 1932, 37.

<sup>2</sup> Confessio Petri Maurini de Monte Alionis, ap. I. Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters*, II, München 1890, 207-31; 223: « ...respondit, quod non audit ab eis, quod Christus descenderet ad inferos, imo, ut dixit, cum haeretici dicerent, quod infernus alter non erat nisi quando in fine mundi mare ampliabitur et coelum descendet et ignis mare consumet et mare extinguet ignem, cum, quando Dei Filius apparenter fuit mortuus, secundum eos mundus non esset finitus illo tempore, nec etiam adhuc est aliquis infernus, ita Christus ad infernum, cum non esset, non descendit... » cf. ibid. 210, 213, 218.

<sup>3</sup> Codicem hunc descripsi in *Studi Francescani*, S. III, vol. III, 1931, 181-204: *Alcuni documenti per la storia dell'Inquisizione francescana in Toscana e nell'Umbria (1272-1324)*. Cf. etiam F. Beck, in *Archivum Fratrum Praedicatorum*, VII, 1937, 475.

<sup>4</sup> Textum integrum cf. infra, pars II, n. X, 4.

fenditur ab aliqua creatura, quia omnia eveniunt sicut Deus disponit.

3. Vitia et peccata sunt necessaria sicut gratiae et virtutes, ideo anima non debet dolere de aliqua re vel culpa et omnia fiunt a Deo.

4. Negatio explicita liberi arbitrii.

5. Poenitentia et Sacramenta, praeter Sacramentum Corporis Christi, non sunt necessaria nisi imperfectis.

6. Daemones appellant quascunque passiones quibus affliguntur.

7. Anima purgata in delectationibus spiritualibus, corporalibus sive carnalibus ita Deum praesentem habet sicut in virtutibus et operibus bonis, et quae magis delectant, magis Deum repraesentant.

8. Passio Christi non fuit necessaria ad damnationem aeternam vitandam, sed ad provocandum ad bonum.

9. Homines in hac secta perfecti sunt pares Christo qui tamen fuit verus Deus.

Nova sunt in hoc elencho dogmata expressa in numeris 5, 6, 8 (profluit tamen ex 1), 9. E contra n. 1 inter propositiones in Vita Berengarii occurrit<sup>1</sup>. Numeri 2, 3, 4 liberi arbitrii negationem exprimunt, n. 2 impeccabilitatem, n. 3 simul Quietismum; n. 7 ex aliis sectae placitis consequi videtur.

Quae in hoc elencho nova sunt difficile est aliunde probare quod in secta Spiritus libertatis revera exstiterint, ab omnibus asseclis accepta. Quaedam vero harum sententiarum apud sectam liberi spiritus seu Amalricianorum inveniuntur. Ita negatio damnationis aeternae (n. 1), ut iam

<sup>1</sup> Cf. *Infra*, pars II, n. I, 2.

diximus, verisimiliter cum negatione paradisi et inferni Amalricianorum cohaeret. Occurrit eadem opinio in *Vita Berengarii*, quare ut apud sectam vigens accipi potest. Similiter n. 5 quod Sacramenta non sunt necessaria, invenitur apud sectam liberi spiritus<sup>1</sup>. Sententia n. 9 maxime redolet doctrinam Amalricianorum: Pater incarnatus fuit in Abraham et in aliis veteris testamenti patribus, filius Dei in Christo et *in aliis christianis...*, igitur perfecti in hac secta sunt pares Christo<sup>2</sup>.

Sententia n. 6, quae passiones corporis et animae vocant daemones, apud Begardos Alemaniae invenitur<sup>3</sup>.

Collectio ergo 9 propositionum ab Inquisitoribus facta minus fidelis apparet in depingenda vera et communi doctrina Spiritus libertatis, quam alia testimonia enumerata, quae quidem sunt independentia, sed mire concordant. Secta Spiritus libertatis in suo vigore paucos tantum annos subsistens, vix excogitavit systema philosophicum theologicum, sicut erat systema Amalricianum. Bentivenga de Eugubio, sectae fundator, ab asecclis Gerardi Segarelli, Dulcinistarum postea vocatorum, provenerat, et errores nefandos ab illa secta in Provinciam S. Francisci clam induxerat. Fuerunt errores morales vel potius aberrationes immorales et impudica praxis haereticorum, quae eorum sectae indolem dedit multo magis quam doctrina speculativa. Erant igitur sequaces huius sectae homines vulgares immorales, sicut fuerunt Apostolici Gerardi Segarelli de Parma, a quibus Bentivenga de Eugubio provenerat.

<sup>1</sup> Cf. Capelle, *Ansaury de Bène*, 38; 93.

<sup>2</sup> L. c. 32; 92; cf. 38; 89; Felice Tocco, *L'eresia nel Medio Evo*. Firenze 1884, 195, nota 2; 415, nota 1.

<sup>3</sup> Döllinger, *Beiträge* cit., II. 393; 401.

Demum B. Angela de Fulgineo († 1309) amicos et filios spirituales contra errores Spiritus libertatis praemuniens, dicit<sup>1</sup>:

« Item cave tibi ab hiis qui se dicunt habere spiritum libertatis, qui sunt aperte contra vitam Christi; cum Deus Pater Filium suum, qui non erat obligatus legi, immo supra legem et conditor legis, et ipsum voluit constituere sub lege: qui erat liber, factus est servus. Et ideo qui volunt sequi Christum, necesse est quod comprimant se vitae Christi, non quaerendo libertatem in solvendo legem et praecepta divina, sicut faciunt multi, sed subiiciendo se legi et praeceptis divinis et etiam consiliis ».

B. Angela de Fulgineo, quae in Umbria, tempore quo Spiritus libertatis ibi propagabatur, vivebat, hic sectae Antinomismum e falso libertatis conceptu derivantem perstringit, dum alia sectae dogmata et turpitudines silentio praeterit.

Notandum est in nullo fonte de Spiritu libertatis agente sermonem fieri de Pantheismo vel de Joachimismo, sed omnes concorditer in Quietismo, Impeccabilitate et liberi arbitrii negatione insistere. Habebant utique haeretici hi Umbriae haec communia cum multis aliis haeresibus illius temporis, praesertim cum Begardis, sed non propterea licet Spiritus libertatis sequaces cum his confundere, quia Begardi alia etiam capita doctrinae habebant.

Multo minus Spiritum libertatis Amalricianis possumus adscribere, quia in Spiritu libertatis exsulat Pantheismus qui

<sup>1</sup> M. Faloci Pulgnani, *L'autobiografia e gli scritti della Beata Angela da Foligno*, Città di Castello, 1932, 256; P. Doncoeur, *Le livre de la bienheureuse Angèle de Foligno, texte latin*, Paris-Toulouse 1925, 176; M.-J. Ferré, *Sainte Angèle de Foligno. Le livre de l'expérience des vrais fidèles, texte latin publié d'après le manuscrit d'Assise*, Paris 1927, 472.

doctrina fundamentalis Amalrici de Bena eiusque sequacium videtur fuisse, coniuncta cum ideis quibusdam joachimiticis, quae apud Dulcinum de Novaria iterum reflorent, dum nullum vestigium eius apud Bentivengam et suos invenitur, quod forsitan ex eo provenit quod haeresiarcha Bentivenga antequam Dulcinus illis ideis indulset, a secta Apostolicorum iam recesserat.

Cum igitur Spiritus libertatis Pantheismi et Joachimismi omnino immunis appareat, patet illos auctores corrigendos esse, qui dogmata illa eidem attribuerunt, ut Lea<sup>1</sup> et Grundmann<sup>2</sup>.

Stabilitis Spiritus libertatis capitibus doctrinalibus, quae ad Quietismum, Impeccabilitatem, negationem liberi arbitrii et inde consequentem morum depravationem omnia possunt revocari, superest paucis in horum errorum originem inquirere. Quamvis enim primus qui perversa dogmata in Umbria disseminavit fuisset Frater Minor Bentivenga de Eugubio, propterea haeresiarcha vocatus, haereses eius non sunt originis franciscanae, vel alicuius motus insani tunc intra Ordinem existentis.

Inprimis Ottonellus quidam parum ante Bentivengam terrenum in Umbria praeparaverat, de quo in proximo capite dicitur. Deinde ideae Begardorum, cum quibus Spiritus libertatis magnam habet affinitatem, certo influxum habuerunt in novam sectam, qua via id evenerit, utique stabiliri vix potest.

Maximus vero influxus, imo derivatio directa habetur

<sup>1</sup> Cf. supra, p. 97<sup>1</sup>.

<sup>2</sup> H. Grundmann, *Studien zu Joachim von Floris*, Leipzig 1927, 157-192; *Das Fortleben der Joachimschen Ideen*, speciatim 186.



a secta Apostolorum seu Apostolicorum a Gerardo Segarelli Parmae circa annum 1260 fundata et in Italia superiori et media sat propagata, donec Gerardo in rogo a. 1300 combusto, sub successore Dulcino de Novaria haeresis a. 1307 fortiter repressa est, ipso Dulcino Vercellis exstincto.

Gerardus Segarelli homo rudis erat et, ut Salimbene refert<sup>1</sup>, bestialis. Ipse sic dictam probationem castitatis<sup>2</sup> exercebat et discipuli eius, Apostoli seu Apostolici, noti erant ob obscoenitatem ignominiosam et turpes mores, quae maxime refert laudatus Salimbene et Bernardus Guidonis<sup>3</sup>, Processus vero in haereticos facti<sup>4</sup> plene confirmant.

E tali coetu proveniens Bentivenga, nihil mirum quod in Ordinem Minorum receptus, corruptionem, forsitan ad

<sup>1</sup> Salimbene, *Cronica*, ed. Holder-Egger (MGH SS XXXII), Hannoverae et Lipsiae 1905-1913, 255-94; 489; 563s.; 619s.

<sup>2</sup> L. c. 257; 265. Vestigia huius aberrationis in S. Cypriani epist. 62 Ad Pomponium, Migne, P. L., 4, 364ss., in reimpressione 375ss., in edit. vero Hartel, CSEL, III, 2, 472ss., epist. 4, iam inveniuntur et a Sancto aspere carpuntur. Simile quid Geraldus Cambrensis, *Gemma ecclesiastica*, dist. II, c. 15. *Opera* ed. J. S. Brewer (RBSS), London 1862, II, 236s.; de S. Aldelmo († 709) « ut ab hominibus diffamaretur ». perperam refert, Gofridus Vinocinensis, *Epist.* lib. IV, ep. 47. Migne, P. L., 157, 181-84, ad Robertum de Arbrissello († 1117) hac de re ex rumoribus sparsis scribens: « Hoc si modo agis, vel aliquando egisti, inquit, novum et inauditum, sed infructuosum genus martyrii invenisti ». Veteres Bollandistae, *Acta SS.*, Feb. III, ed. Paimé, Paris 1865, 606ss., epistolam Gofridi authenticam esse negant, moderni Bollandistae, *Analecta Bollandiana*, 23, 1904, 376, eam admittunt sed fidem ei adhibere recusant, cum de diffamatione ageretur. Simile, licet non ita expresse, ad Robertum scribit Marbodus episcopus Redonensis, ep. 6. Migne, P. L., 171, 1480-86, et apud Joh. von Walter, *Die ersten Wanderprediger Frankreichs*, I. Robert von Arbrissel, Leipzig 1903, 181-89.

<sup>3</sup> Bernardus Guidonis, *Practica Inquisitionis haereticae pravitatis*, ed. Douais, Paris 1886, 257-264, praesertim 260; 327-355, praesertim 338; Bernard Gui, *Manuel de l'Inquisiteur*, ed. (partialis) G. Mollat, I, Paris 1926; 84-106, praesertim 92; II, Paris 1927, 66-121, praesertim 102.

<sup>4</sup> Muratori, RIS, nova editio, IX, parte V, a cura di A. Segarizzi, 53 (Bononiae a. 1299) 54, 56, 57 (ibid. a. 1303); 70 (ibid. a. 1305); 84s. (Tridentini a. 1333).

tempus repressam, secum portavit. Quod vero Ordo seu potius Provincia S. Francisci hominem taliter infectum in sinum proprium recepit, fuit imprudentia, ut ait Card. Ehrle<sup>1</sup>, imo addere possumus, vera calamitas, ut eventus probavit. De tempore vero receptionis Bentivengae in Ordinem Minorum et de prima eius doctrinae perversae in Umbria propagatione in sequenti erit disputandum capite, in quo fructus studii ex diversis fontibus haustos colligemus in unum.

<sup>1</sup> ALKG IV, 180.

## CAPUT VI.

### DE ORIGINE, PROPAGATIONE, EXITU SPIRITUS LIBERTATIS

Examinatis variis fontibus fata et doctrinam sectae Spiritus libertatis memoriae tradentibus, iam nobis incumbit reconstructio brevis historiae huius sectae, quae initio saeculi XIV in Valle Spoletana inter quosdam Fratres Minores, inter Religiosos dubiae indolis et inter saeculares viguit.

Inprimis de nomine sectae dicendum est. Qua de re plurima invaluit confusio. Nomen huius sectae proprium fuisse *Spiritus libertatis* stricte retinendum est, nec confundendum est cum nomine *Spiritus liberi*, quo asseclae Amalrici de Bena vel Begardi designantur, multo minus tres sectae credendae sunt esse quid unum.

Valde veri simile est nomen a 2 Cor. 3, 17: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*, quem locum iuxta cap. *Ad nostrum* (V, 3) in Clem. etiam Begardi invocabant, abusive assumptum fuisse. Alius locus sectae aptus est Gal. 5, 18: *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Iuxta Alvarum Pelagium<sup>1</sup> qui, ut saepe monuimus, sectam Spiritus libertatis continue cum Begardorum permiscet, Begardi il-

<sup>1</sup> Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae*, II, 52, ed. Venetiis 1560, f. 113rb, et infra, pars II, n. X, 2.

los duos (S. Pauli locos revera pro se allegabant. « Sed ipsi ceci, prosequitur idem auctor, et carnales equivocant libertatem. Isti enim carnales totaliter qui sunt proprie de illis hereticis *de spiritu libertatis* ». Est igitur nomen variatum sectae *liberi spiritus*, cum qua quidem, sicut et cum Begardis, placita quaedam communia habent, sed a qua directe non descendunt isti haeretici Umbriae. Quare nomina trium sectarum affinium stricte distinguenda sunt, et falsum est vel saltem confusione praebet ansam, unum pro alio usurpare, quamvis id aliquando in ipsis fontibus accidat<sup>1</sup>.

Aliam derivationem falsam nominis sectae Spiritus libertatis supra iam refellimus<sup>2</sup>, nempe quod a *Spiritualibus* franciscanis venit, ut L. Fumi voluit, nec oportet hic iterum hanc sententiam confutare.

Orta est secta Spiritus libertatis, opera Fr. Bentivengae de Eugubio, in Umbria, ubi parum ante terrenum fuerat praeparatum. Bentivenga enim habuit praedecessorem quemdam Ottonellum, de quo pauca scimus. In B. Jacobi de Mevania O. P. (1220-1301) Vita, cuius tamen textus antiquus non videtur conservatus, legitur<sup>3</sup>: « Renascentem in Umbria Nicolaitarum haeresim funditus profligavit, ipsumque Ortinellum [*sic*] pestiferae sectae coryphaeum ad publicam erroris detestationem perduxit ». Similiter in recenti Processu canonizationis S. Clarae de Montefalco habetur<sup>4</sup>: « Ottonellus primum in Ducatu Spoletano [*spiritum, seu ut hic dicitur, congregationem libertatis*] vulgavit, sed a B. Jacobo Ordinis Praedicatorum confutatus hae-

<sup>1</sup> Praeter Alvarum Pelagium cf. ALKG IV, 179, nota 2.

<sup>2</sup> Cf. supra, cap. II, p. 36.

<sup>3</sup> Acta SS., Aug. II, 725.

<sup>4</sup> Spoletana seu Ordinis Eremitarum S. Augustini canonizationis B. Clarae a Cruce de Monte Falco. Positio super virtutibus. Romae 1850, 8.

resim abiuravit. Quidam vero Bentivenga Eugubinus de-  
nuo suscitavit... ».

Omnes fontes concordant in eo quod auctor Spiritus li-  
bertatis in Umbria fuit Bentivenga de Eugubio, Frater Mi-  
nor Provinciae S. Francisci, qui haeresiarcha expressis ver-  
bis nominatur. Dicebatur quoque Apostolus, « propter san-  
ctitatem quam ostendebat <sup>1</sup> ». Raymundus Fonsiacus, Pro-  
curator Ordinis Minorum, c. 1319 de Bentivenga scribit <sup>2</sup>:  
« XIX capitulo depositio contra fratrem Ventevenha, qui  
dicebatur loqui cum angelis et vocabatur apostolus, quia  
reputabatur par apostolis et fuit caput et auctor eorum, qui  
in Valle spoletana erraverunt per heresim spiritus liber-  
tatis ».

Magis explicitus est hac in re Angelus de Clarino in  
VI tribulatione Ordinis Minorum <sup>3</sup>. Is spiritum libertatis a  
Gerardo Segarelli, qui « illorum fratrum, qui dicuntur apo-  
stoli, primus adinventor » fuit, repetit, quem « secutus est  
vexatus et dementatus a diabolo Dulcinus veneno alio du-  
pliciter infectus ». Hos, iuxta Fr. Leonem praedixit S. Fran-  
ciscus: « Illi sunt satanae apostoli, qui seducti seducent mul-  
tos; et loquentur et sequentur superbiam et animaliter vi-  
vent, obedientiae et humilitatis Christi spiritum impugnan-  
tes. Ociosi viventes discurrunt per civitates et castra magi-  
stram habentes propriam voluntatem, penetrabunt domos  
et illaqueabuntur familiaritatibus mulierum... Vae mundo,  
quoniam undique scandala consurgent, ex quo tales appa-  
ruerunt apostoli ».

Quibus relatis, Angelus de Clarino originis Spiritus li-

<sup>1</sup> Testis 4 Processus can. a. 1318; cf. infra, pars II, n. II.

<sup>2</sup> ALKG III, 11.

<sup>3</sup> L. c. II, 131.

bertatis in Umbria narrationem statim subiungit<sup>1</sup>: « Nam et quidam de secta illa apostolorum nomine Bentevenga ordinem minorum intravit et spiritus libertatis dyabolice spurcissimam labem in b. Francisci provincia seminavit. Qui tantam exterius morum honestatem pretendebat, ut multos seculares et religiosos et clericos ad se propter magne sanctitatis famam, quam habebat, atraheret. Hic cum multis spiritualibus personis quadam verborum caliditate illuderet et superba suiipsius reputatione cecatus omnes intelligencia archanorum dei se iactaret excedere, eciam ipsi fratri Ubertino demencie sue erroneas subtilitates preponere quasi minus intelligenti non timuit. Que vir catholicus ut audivit, dissimulavit prudenter et volens serpentis illius publicare tortuosos gressus et insidias, ne quemquam ulterius inficeret, propalare, coram prudentibus et fidedignis testibus quasi scirebundus seu doctrine auditor ad loquendum, que senciebat, induxit; et tam prudenter et caute, quod omne venenum, quod gerebat absconditum, coram illis intelligentibus, quos sibi devotos credebatur, evomuit; et tunc ex suis verbis fr. Ubertinus, quod turpiter errasset et erraret eidem et omnibus ostendit; et ex tunc et nomen et audaciam et potestatem simul confusus perdidit et suorum sequacium coactus fuit manifestare insapias et errores ».

Iuxta hanc Angeli de Clarino narrationem, cum qua hac in re testimonia Fr. Francisci Damiani in Processu canonizationis saepe laudato, Fr. Raymundi Fonsiaci, Alvari Pelagii plene concordant, Bentevenga « apostolus » vocabatur ob eminentem sanctitatem et spiritualitatem apparentem, quibus dotatus credebatur. Solus Angelus de Clarino

<sup>1</sup> L. c. II, 1315.

Bentivengam e secta Apostolorum seu Apostolicorum in Ordinem Minorum receptum fuisse refert, sed nulla adest ratio cur hanc informationem in dubium revocemus, cum auctor de rebus sui temporis generatim bene sit informatus. Stante vero hoc testimonio, nomen apostoli Fr. Bentivengae communiter datum, aliam originem habere mihi videtur: Vocabatur etiam in Ordine Minorum « apostolus », quia ab Apostolis seu Apostolicis Gerardi Segarelli provenerat, et paulatim tantum, vera origine oblitterata, istud nomen ex Bentivengae spiritualitate ostentata et mentita sanctitate repetebatur.

Alia quaestio moveri potest, quo nempe tempore Bentivenga de Eugubio ab Apostolis ad S. Francisci Ordinem transierit. Nullam in fontibus hac de re invenimus indicationem, sed, ni fallor, tempus illud variis et bene fundatis deductionibus plus minus accurate eruere possumus, retrocedendo scilicet a tempore e fontibus pro detectione eius haeresis iam stabilito.

Inprimis etenim iam vidimus S. Claram de Montefalco cum haeresiarcha Bentivenga colloquium habuisse circa duos annos ante mortem, igitur a. 1306. Item, quatuor annos ante mortem Sanctae Fr. Johannutius de Mevania novam doctrinam Quietismi cognovit et partim accepisse videtur, ut testis 3, art. 88, et *Relatio Cardinalium* referunt. Pervenimus itaque ad a. 1304. Cum vero secta initio secrete ageret et venenum suum spargeret caute, a. 1304-05, seu anno novitiatus Alvari Pelagii, haeresis erat adhuc occulta. Solus Ubertinus Casalensis circa idem tempus (1305) aliqualem de ea cognitionem habebat, ut supra vidimus. Ex alia parte assumere non possumus Bentivengam statim post receptionem in Ordinem haeresim propagasse et cum ad

famam sanctitatis acquirendam pariter necessaria esset certa periodus, opus est recedere ultra a. 1300. Quod ex alia quoque consideratione suadetur: A. 1300 Dulcinus de Novaria novum caput sectae Apostolorum factus est eodemque anno primam suam encyclicam epistolam Joachimismo redundantem edidit<sup>1</sup>. Quod econtra apud Spiritum libertatis exulat Joachimismus, ex eo posset explicari, quod eius inventor Bentivenga ante annum 1300 ab Apostolis iam recesserat. Imo non videtur excludendum quod Bentivenga ad Ordinem Minorum transitum perfecit cum Honorius IV bulla *Olim felicitis recordationis*, die 11 martii 1286 data<sup>2</sup>, Congregationem Apostolorum suppressit, « monentes eosdem, inquit Pontifex, si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de religionibus approbatis ». Hanc occasionem secundam et concessionem Bentivenga forsitan arripuit ad ingressum in Ordinem seraphicum facilius impetrandum. Nicolaus IV, *Dudum felicitis recordationis*, 7 martii 1290<sup>3</sup>, utique argumentum bullae Honorii IV repetit, in dispositionibus vero propriis de transitu Apostolorum ad alios Ordines nullus fit sermo, sed generatim Inquisitioni subduntur atque eisdem praedicationis officium exercere et confessiones fidelium audire interdicitur<sup>4</sup>. Quae di-

<sup>1</sup> Argumentum epistolae ap. Bernard. Guidonis, *Practica Inquisitionis*, ed. Douais, 330-334; ed. Mollat, *Manuel de l'Inquisiteur*, II, 76-92; Muratori, RIS, nova editio, IX, pars V, 1422.

<sup>2</sup> Textus bullae apud Bernard. Guidonis, *Practica Inquisitionis*, ed. Douais, 328s.; ap. Muratori, RIS, nova editio, IX, parte V, 18; Mollat, *Manuel de l'Inquisiteur*, II, 71, textum omittit, amandat vero ad Bull. Rom., ed. Taurinensis, IV, 84s.

<sup>3</sup> Textum edidit E. Langlois, *Les registres de Nicolas IV*, fasc. 4, Paris 1890, p. 625, n. 4253.

<sup>4</sup> Langlois, l. c. 625s.: « Nos, itaque, prefati praedecessoris Honorii super hoc vestigiis inherentes et intendentes ob animarum evitanda pericula providere salubriter in hac parte, universitati vestre per apostolica scripta



positio clare monstrat eo tempore inter Apostolos sacerdotes etiam adfuisse.

His circumstantiis consideratis, Bentivengam ultimis tribus saeculi XIII lustris ad Ordinem Minorum transiisse et in Provinciam S. Francisci fuisse incorporatum fere certum mihi videtur.

Venerat igitur Fr. Bentivenga ex secta Apostolorum, quorum vita dissoluta et immoralis notoria erat et inter quos peccatum carnis ut res licita praedicabatur. Hoc vero « non revelant indifferenter omnibus, inquit Bernardus Guidonis<sup>1</sup>, sed inter se et magis adhaerentibus sibi », quae est praecise methodus, quam Bentivenga errorem in Umbria spargens secutus est. Ita quoque explicari potest quod non obstante vigilantia, quae in Ordine bene organizato deficere non solet, error aliquamdiu latere potuit. Per Umbriam discurrens praedicatoris officium exercendo, haeresiarcha ille, Apostolorum transfuga, crebras habebat occasiones errores propagandi et inter varios coetus hominum assecclas acquirendi, qui, aiente Arnaldo de Villanova<sup>2</sup> numerum 240 superaverunt.

districte precipiendo mandamus quatenus omnes quos de predictis in civitatibus et diocesibus vestris contigerit inveniri, ad deponendum huiusmodi habitum et respondendum de articulis fidei, super quibus illos examinari volumus diligenter, et ad faciendam penitentiam, si velint, de suorum voluntate et conscientia prelatorum, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis, nec permittatis quod tales per seculum evagentur aut quod officium predicationis exerceant vel audiant confessiones fidelium seu quod apostoli nominentur, contra eos, si secus presumpserint, prout exegerit excessus eorum et expedire videritis, processuri, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Examinationem autem illorum fieri volumus per vos una cum inquisitoribus provincialibus heretice pravitatis, quos ad hoc a vobis precipimus penitus evocari. Dat. Rome, apud Sanctam Mariam Maiorem, nonis martii, pontificatus nostri anno tertio ».

<sup>1</sup> Bernardus Guidonis, *Practica Inquisitionis*, ed. Douais, 260.

<sup>2</sup> Cf. infra, pars II, n. IV, 2.

Tali modo errores Spiritus libertatis per aliquos annos occulte et impune serpere potuerunt. Superius iam relatatum est Johannutium de Mevania inde ab a. 1304 irritum fuisse in Quietismo<sup>1</sup>. Eodem anno<sup>2</sup> S. Clara de Montefalco primam visionem de mortifera secta habuit, occasione nimirum cuiusdam discursus Disciplinantium per vallem Spoletanam, de quo ceterum nihil notum est. Dicebat Sancta post visionem<sup>3</sup>: « Videbitis quod de ista congregatione fustigatorum multum malum exhibit ». Et revera « post aliquod tempus de numero istorum fustigatorum exierunt et surrexerunt quidam sequentes et docentes errorem de libertate spiritus ».

Utrum ipse Fr. Bentivenga inter dictos Disciplinantes fuerit necne, non liquet. Sensus visionis potius videtur esse quod e Disciplinantium ambiguo coetu quidam haeresiarum in errore Spiritus libertatis mox secuti sunt.

Propagatus est igitur nefastus error inter saeculares et religiosos et iam aliqui Fratres Minores Provinciae S. Francisci motui haereticali adhaeserant, cum c. a. 1306 caput sectae ipsam S. Claram, cuius fama sanctitatis longe et late per regionem sparsa erat, allicere audacter tentaret. De quo tentamine plura adsunt testimonia in Processu canonizationis Sanctae, in *Relatione Cardinalium* et in *Vita S. Clare* auctore Berengario de S. Africano, quae supra expendimus. Sed Bentivenga se male inde habuit: quod sectae incrementum et auctoritatem conferre debuit, eius cladis et extirpationis fuit initium.

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. I et II.

<sup>2</sup> Secundum Piergiliū, *Vita*, 52; 125. .

<sup>3</sup> Testis 2, art. 86 Processus canonizationis, infra, pars II, n. II; *Vita Berengarii*, ed. Faloci, 84; ed. De Töth, 65; et infra, pars II, n. I, 2.

Sancta enim ambigue sibi propositam doctrinam initio charitative et catholice interpretari nisa est, sed postquam Bentivenga placita sua nude et crude evomuerat, omnis haesitatio cessavit; ipsa non solum fidem catholicam fortiter defendens, restitit, sed sibi commissas sorores a communicatione cum haereticis arcuit haereticosque incunctanter denunciare studuit.

Inprimis, opera fratris Francisci Damiani de Montefalco, Inquisitorem haereticae pravitatis Umbriae Fr. Andream de Perugia O. F. M. accersivit, cui Montemfalco pervenienti Sancta periculum ex parte novae haeresis Fidei catholicae et saluti animarum imminens aperuit, imo eum increpuit, quod in istos haereticos non processisset.

Sed quis est iste Fr. Andreas de Perugia, qui alias ut Inquisitor videtur ignotus? Posset esse ille Fr. Andreas de Perugia qui 23 iulii 1307 cum aliis quinque Fratribus Minoribus a Clemente V episcopus inter Tataros Extremi Orientis, seu precisius episcopus suffraganeus Pekingensis nominatus est<sup>1</sup>, quemque chronista Elemosina Fr. Andream de Guidonis de Perugia Lectorem vocat<sup>2</sup>. Is a 1326 e Sinis litteras dedit ad Guardianum Perusinum<sup>3</sup> et a 1330 episcopus Zaitunensis diem obiit supremum.

Alius Fr. Andreas de Perugia a. 1328 contra Ludovicum

<sup>1</sup> Cf. Wadding, *Annales Minorum*, ad an. 1307, n. 8 (VI<sup>1</sup>, 105); Eubel, *Bull. Franc.*, V, 38s.; H. Quentin, O. S. B., *Inquisitio de vita, missionibus apostolicis, virtutibus et fama sanctitatis Joannis a Montecorvino...*, Typis Polyglottis Vaticanis 1931, 93-97.

<sup>2</sup> Apud Quentin, l. c. 47.

<sup>3</sup> L. c. 105-110; A. Van den Wyngaert, *Sinica Franciscana*, I, Quaracchi 1929, 373-377.

Bavarum scripsit tractatum, a R. Scholz partim editum<sup>1</sup>. Nihil aliud de eo notum est.

Uterque vir eminens et doctus fuisse videtur ideoque ad officium Inquisitionis implendum aptus. Utrum vero unus ex his, an tertius idem sit ac Inquisitor, quem S. Clara de Montefalco in causa Spiritus libertatis interpellavit, res dubia, quae ex fontibus notis secure decerni nequit, remanet<sup>2</sup>. Circumstantiae tamen temporis et officii animum inclinant ut credam de illo Andrea de Perusia hic agi, qui mense iulio a. 1307 episcopus destinatus ad missiones inter Tataros nominatus est, praesertim cum Inquisitores non raro ad Episcopatus promoverentur. Brevi tempore officium Inquisitionis forsitan exercuit, unde explicaretur quod nullibi alibi eius activitas inquisitorialis commemoratur.

Quomodocunque res se habeat, cum Inquisitor, ob caliditatem Fr. Bentivengae, negaret se quid facere posse in hac causa, Sancta alium virum sibi notum ad haeresim Card. Napoleoni Orsini denuntiandam induxit. Erat is dominus Bernardus de Pisauris, qui pluries in monasterio Sanctae conversabatur, cum in eodem filiam sanctimonialem haberet. Quomodo is in singulis missionem expleverit, nescimus. Testis 2, art. 115, Processus canonizationis tamen dicit Bernardum promississe ire in persona, « nisi esset quod erat infirmus »<sup>3</sup>. Unde inferre licet a Bernardo nuntium ad

<sup>1</sup> R. Scholz, *Unbekannte kirchenpolitische Streitschriften aus der Zeit Ludwigs des Bayern (1327-1354)*, II, Rom 1914, 64-75; cf. I, ibid. 1911, 29-32.

<sup>2</sup> Ante a. 1298 quemdam Fr. Andream O. F. M., in Umbria Inquisitionem fuisse ex bulla Bonifatii VIII *Exhibita nobis*, Reate 1 oct. 1298, (Bull. Franc., IV, 478) constat. Sed is eo anno iam obierat. Anno 1332 alius Fr. Andreas de Perusio, O. F. M., sit Magister in theologia (Bull. Franc., V, 533), qui forsitan idem est ac contra Ludovicum Bavarum scriptor.

<sup>3</sup> Cf. infra, pars II, n. II, 2.

Cardinalem Orsini missum fuisse. Certum est dicti Bernardi opera Bentivengam cum suis discipulis Cardinali Legato efficaciter denuntiatum fuisse haeticosque captos.

Supra in cap. I iam vidimus Card. Napoleonem ab initio mensis aprilis a. 1307 Aretii fuisse; illuc proculdubio Bentivenga Eugubinus cum sociis conductus est et condemnatus. Pariter vidimus quod Processus canonizationis et Vita Sanctae auctore Berengario meritum captionis et condemnationis haeresis Spiritus libertatis S. Clarae tribuunt, fontes vero alii Ubertino de Casali. Revera fontes sibi non contradicunt. Denuntiatione sollicitudine Sanctae facta et Bentivenga cum sociis capto, Processus erat instituendus, in quo rei convincendi erant haeresis. Bentivenga enim callidus et subtilis hucusque condemnationem effugere potuit et ipse Inquisitor Umbriae non valuerat eum coarguere. Hic vero intrat Ubertinus de Casali, Card. Legati Napoleonis Orsini capellanus, qui iam a. 1305 aliqualem cognitionem falsorum principiorum Spiritus libertatis habuerat. Hic, Angelo de Clarino testante<sup>1</sup>, ad stratagema habuit recursum fingendo nempe se velle initiari in Spiritus libertatis secta et ita paulatim fiduciam acquisivit Bentivengae, qui demum, aliis adstantibus testibus, coram Ubertino sectae doctrinam clare exposuit, ita ut reus confessus condemnari potuerit.

Modus agendi Ubertini vituperatus fuit ut minus honestus<sup>2</sup>. Sed quod fecit Ubertinus, tunc licitum credebatur

<sup>1</sup> Vide parum ante (p. 68) textum ex *Chronica septem Tribulationum*.

<sup>2</sup> D. L. Douie, *The Nature and The Effect of the Heresy of the Fratitelli*, Manchester 1932, 127: « Ubertino's methods won the admiration of his friend Clarenno, but appear somewhat unscrupulous to modern ideas, as for instance when with a seeming desire to become initiated into its doctrine he induced the leader of the sect Bentivenga to make a full confession

et erat praxis non rara in convincendis haereticis. Bernardus Guidonis ex. gr. scribit <sup>1</sup>: « est necessaria industria et sollercia inquirentis; et possunt ac debent tales (haeretici) cogi seu compelli ad respondendum clare et ad determinandum explicitè illud quod respondent in genere vel in aequivo-co seu confuse... ». Exempla astutiae in detegendis haereticis multa adsunt <sup>2</sup>. Quod vero valde curiosum est: haec eadem astutia adhibita est in nudando animum sequacium Amalrici de Bena, ut narrat Caesarius Heisterbacensis <sup>3</sup>: « Iniunxerunt saepedicto Rudolpho in remissionem peccatorum suorum, et alteri sacerdoti, ut se fingerent esse de illorum consortio, donec scientias omnium audivissent, et plenius omnes articulos incredulitatis eorum explorassent... ». Non est veri simile Ubertinum hoc factum cognovisse vel Angelum de Clarino rem narrantem ab Heisterbacensis textu dependere, quamvis ex alia parte Clarinus Amalricianorum fata parum ante commemoret et « Apostolos » Italiae directe ab illis deducat <sup>4</sup>. Quare non est cur de facto Ubertino adscripto dubitemus. Clarinus solummodo circumstantias, in quibus Ubertinus in hoc negotio egit, tacet, quia illas forsitan ignoravit. Iuxta Angelum de Clarino enim Bentivenga « etiam ipsi fratri Ubertino dementiae suae erroneas subtilitates proponere quasi minus intelligenti non

of his errors before prudent and carefully chosen witnesses, and thus was able to secure his detection and arrest ». Ultima haec verba errorem continent, cum Ubertini actio in convincendo iudic.alter Bent.vengam tantum constitisset. Cf. etiam Lea, *A History of the Inquisition*, III. 46.

<sup>1</sup> Bernard. Guidonis. *Practica Inquisitionis*. ed. Douais, 287; ed. Mollat. *Manuel de l'Inquisiteur*, I, 190.

<sup>2</sup> Cf. Lea, *A History of the Inquisition*, I. 416s.; III. 97.

<sup>3</sup> Caesarius Heisterbacensis. *Dialogus miraculorum*, ed. J. Sirange. Coloniae 1851, I, 306.

<sup>4</sup> ALKG. II, 130.

timuit », dum scimus Ubertinum ut capellanum Legati pontificii egisse, postquam Bentivenga ad hunc ex Umbria Aretium fuit conductus et ipse Ubertinus cognitionem causae ab ipso Cardinali acceperat. Bentivenga igitur potius suspectum habere debuit Casalensem, qui si nihilominus fingendo se sectae esse asseclam, scopum suum obtinuit, vere dicendus est dexterrimus.

Exitum Processus novimus. Haeretici proprios errores confessi ad perpetuum carcerem sunt condemnati.

Qui et quot fuerunt condemnati? Vidimus iam quod iuxta Raymundum de Fronsiano septem Fratres Minores fuerunt condemnati<sup>1</sup>, dum iuxta Arnaldum de Villanova haeretici condemnati universim fuerunt plus quam 240<sup>2</sup>, unde, nisi auctor exaggerat, concludere oportet numerum saecularium et forsitan aliorum religiosorum vel religiosarum hac haeresi implicatorum sat magnum fuisse. Idem Arnaldus refert haeticos a duobus Cardinalibus captos fuisse, et revera in Processu canonizationis necnon in Vita S. Clarae auctore Berengario de S. Africano narratur quod Sancta haeticos Cardinali Legato Napoleoni Orsini et Card. Jacobo de Columna denunciare iussit. Quomodo vero Card. Jacobus de Columna in hoc negotium se ingerere potuisset, non liquet, cum ipse eo tempore Romae morabatur et nulloungebatur officio quod ei ansam praebuisset iudicialiter hac in causa procedere. Veri simile est, omnibus circumstantiis perpensis, Card. Jacobum hac in re nihil perfecisse, imo neque haeresim ei fuisse denuntiata, licet S. Clara hoc desiderasset.

Eodem Arnaldo referente, inter illos haeticos fuerunt

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. II, p. 34.

<sup>2</sup> Vide infra, pars II, n. IV, 2.

etiam « magni et notabiles Lectores », qui igitur inter septem illos Fratres Minores condemnatos essent quaerendi. Quinam vero illi sint, determinari non potest ex fontibus, qui Bentivengam de Eugubio et Jacobum de Montefalco praedicatores fuisse tantum tradunt.

Dubitare etiam licet utrum omnes a Cardinali Legato fuerint condemnati, an aliqui eorum in inquisitione quam ex parte Ordinis Minorum duo Visitatores Fr. Grimaldus de Prato et Fr. Guido de Tuschis parum post instituerunt. Ab his punitum fuisse Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri, prophetam vocatum, certum est, sed de nullo alio ex fontibus hoc constat.

Fr. Bentivenga de Eugubio, Alvaro Pelagio testante <sup>1</sup>, in carcerem Fratrum detrusus est Florentiae, idest in carcerem Inquisitionis Florentinae quae in conventu S. Crucis sedem habebat. Hoc consentaneum apparet ex quo Processus inquisitionis factus est Aretii, in ditione igitur Inquisitionis Florentinae. Inquisitorem vero Florentinum in condemnatione cooperasse plus quam veri simile est. Eo officio tuncungebatur Fr. Philippus de Garfagnana, qui 16 sept. 1307 Senis astitit ut testis Fr. Ubertino, quando is rectores Communitatis Senensis ab excommunicatione a Cardinali Legato iniuncta absolvit <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. infra, pars II, n. VI.

<sup>2</sup> Cf. E. Knoth, *Ubertino von Casale*, Marburg 1903, 60<sup>4</sup>, ubi legitur: « fr. Phylippus de Garfaguana (!) inquisitor heretice pravitatis in provincia Tuscie »; idem habetur ap. Callæy, *Étude sur Ubertin de Casale*, 141<sup>1</sup>. De eo cf. etiam Papini, *L'Etruria francescana*, 56, n. 12; Gerol. Biscaro, in *Studi Medievali*, 1935, 207, ubi « Filippo da Lucca » dicitur, qui officium Inquisitoris coepit 1304. Cum in documento Senensi a Knoth citato 16 sept. 1307 adhuc Inquisitor dicatur, et ex alia parte Fr. Andreas de' Mozzi a Florentia eidem in officio 1307 succederet, (Biscaro l. c.), patet hoc post 16 sept. 1307 evenisse.



Bentivenga a. 1319 adhuc vivebat in carcere<sup>1</sup>, dum a. 1332, quo Alvarus Pelagius opus suum *De planctu ecclesiae* composuit, mortuus erat. Ex aliis condemnatis scimus Fr. Jacobum de Cocorano seu de Montefalco a. 1319 pariter in carcere iam mortuum fuisse<sup>2</sup>, dum tertius, Fr. Paulus de Burgo, adhuc vivebat. Aliorum condemnatorum, praeter Fr. Francisci de Burgo S. Sepulcri, qui a. 1311 liberatus fuisse videtur, fata et finem ignoramus. Cum enim de re Ordini Minorum non favorabili ageretur, nil mirum Chronistas (Bartholomaeum de Pisa sicut et auctorem *Chronicarum 24 Generalium* atque Johannem Elemosinam) eam silentio praeterisse<sup>3</sup>.

\* \* \*

Actione Ecclesiae, S. Clarae de Montefalco denuntiatione primitus provocata, intra annos 1307-1311 periculum acutum Spiritus libertatis in Umbria aversum est. Sed sicut antea haereses non dissimiles existebant, ita post condemnationem error non statim evanuit, et in variis regionibus Italiae centralis eius vestigia invenimus, quorum testimonia hic breviter colligimus.

Notabile valde est quod Fr. Bartholinus de Perusia O. F. M., « Inquisitor haereticae pravitatis per sedem apo-

<sup>1</sup> Cf. infra, pars II, n. II, testis 5.

<sup>2</sup> L. c.

<sup>3</sup> Bartholomaeus a Pisa utique semel commemorat Spiritum libertatis, *Anal. Franc.*, IV, 440, scribens: « Fratres etiam nonnulli spiritum quaerentes libertatis, ab ordine apostatantes, dicentes alios fratres damnatos et se iustos et sanctos, quotidie capiuntur et comburuntur; nec Deus per mortem ipsorum ostendit aliquid miraculi, nec per tales ». Sed, ut notant Editores, ibi agi videtur de Fraticellis haeticis, cum a. 1385, quo Bartholomaeus scribebat, vix superesset in Ordine asseclae Spiritus libertatis, dum econtra florent Fraticelli.

stolicam specialiter constitutus » in Provincia S. Francisci, die 1 aug. 1329 annuntiat<sup>1</sup> se velle procedere « contra omnes et singulos dicentes, quod illa non sunt peccata, quae sancta romana ecclesia docet esse peccata et precipit evitari; vel qui dixerint, quod illa sunt minora peccata, quae s. rom. ecclesia dicit esse maiora; et contra omnes et singulos, qui essent de septa et nova haeresi introducta, quae dicitur spiritus libertatis... ». In Processu vero qui secutus est contra schismaticos Tudertinos et Amelienses, de Spiritu libertatis non fit mentio, sicut nec postea, nisi in casibus singularibus, in Tuscia, Umbria, Marchia Anconitana.

Pro Tuscia adest documentum Inquisitoris Fr. Accursii Bonfantini de Florentia O. F. M., officio Inquisitionis Florentinae a. 1326-1329 fungentis, quod documentum edidit F. Tocco<sup>2</sup> et nos infra reproducemus<sup>3</sup>. Datum est Florentiae 31 oct. 1327<sup>4</sup>. Eius vero argumentum tale est:

Domina Lapina vidua quondam Lapi, populi sanctae Luciae Omnium Sanctorum, civis Florentina, per octo annos adhaeserat sectae spiritus (libertatis), cuius sectatores « gradus et actus ad tantum et talem perfectionis statum in vita praesenti devenire intendunt, quod reddantur penitus

<sup>1</sup> ALKG I, 1595.: L. Fumi in: *Bollettino della R. deputazione di storia patria per l'Umbria*. V, 1899, 270.

<sup>2</sup> F. Tocco, *Studii francescani*, 236-39.

<sup>3</sup> Pars II, n. IX.

<sup>4</sup> F. Tocco in commentario suo. l. c. 234, notam chronologicam (1327) recte indicat, in instrumento vero ab ipso edito legitur MCCCXXVI. Perplexus rogavi P. Theodorum Cavallon, O. F. M. († 1942), socium olim P. Golubovich († 1941), Florentiae, ut instrumentum originale in Archivo Status Florentiae, *Diplomatico*, S. Maria Novella, inspiciat, qui in originali adesse 1327 confirmavit. Agitur igitur apud Tocco de mendo typographico. Indictio vero XI in instrumento indicata est Indictio Bedana 24 sept. incipiens, dum Indictio romana a. 1327 erat X. Eadem Indictio Bedana etiam in documento priore in nota proxima indicando occurrit.

inpeccabiles », sed errores suos confessa et penitentia petita, absoluta est ab excommunicatione quam incurrerat, et ad gremium Ecclesiae rediit. Sequuntur penitentiae iniunctae, inter quas poena carceris et duae cruces panni crocei coloris ante et retro super vestibus portandae, a quibus tamen poenis Inquisitor eam duxit misericorditer dispensare.

Lapina igitur inde ab anno 1319 infecta erat Spiritu libertatis, et quidem eo modo ut Fr. Franciscus propheta de Burgo S. Sepulcri docuerat, quo nempe quis altissima perfectione ad impeccabilitatem pervenire possit <sup>1</sup>.

In Tuscia Quietismum et quidem sui generis eo tempore inter personas spirituales exstitisse, Hugo Panziera de Prato O. F. M. testatur. Utrum vero motus iste cum Umbriae Quietismo cohaeserit, non liquet. Forma exterior, qua se manifestabat, certo diversa erat, effectus vero non minus deplorabilis. Contra Quietismum tuscum Hugo Panziera a. 1319 proprium edidit tractatulum, cui titulus <sup>2</sup>: *Trattato Il contra alcune oppenioni della doctrina*

<sup>1</sup> In Diplomatico S. Mariae Novellae Archivi Status Florentiae (ut P. Ca. vallon mecum communicavit) alia duo instrumenta adsunt ad Lapinam se referentia: 18 nov. 1327 Fr. Philippus, O. P., filius dictae Lapinae, consensu Inquisitoris emit domum Lapinae confiscatam, quam 15 iun. 1328 vendit eidem Lapinae matri suae. In utroque instrumento Indictio XI habetur. In altero horum documentorum Fr. Philippus, O. P., de Pistorio dicitur, forsitan quia illi conventui erat adscriptus.

<sup>2</sup> Titulum desumo ex editione: *Incominciano alcuni singulari tractati di frate Ugo Panziera de frati minori*, in fine: *Impresso in Firenze per Antonio Mischomini MCCCCLXXXII adi VIII di Giugno*. Folia numeris signantur romanis. Exemplar adest in Bibliotheca Vaticana, *Stamp. Ross.* 1732. Alia editio: *stampato in Firenze a di XV di Dicembre MCCCCLXXXII per Ser Lorenzo de Morgiani e Giovanni da Maganza* (Bibl. Vatic. Incun. IV, 650). Editio s. 2. sed. saec. XV: *Opera novamente venuta in luce del Venando padre frate Ugo Panciera del ordine de san Francesco: La quale tracta della vita activa et contemplativa e diversi altri tractati notabili*. Ultimo loco si contiene alcuni tractati devotissimi del beato Frate Jacopone

del non pensare di Dio, chi vuole pervenire alla contemplatione. Doctrinam vero et praxim falsas ita describit<sup>1</sup>:

« Chi vuole alla contemplatione pervenire si debbe tenere la sua mente vota di tutti e pensieri delle cose temporali et di tutti e pensieri spirituali, li quali l'humana industria può col divino aiuto nella mente vestire, et di tutti e pensieri che nella mente venissono per qualunque modo et in qualunque intelligibile oggetto, tutti si debbono al tutto refutare et dalla sua mente schacciare. Et debbonsi aspectare et ricevere e pensieri che Dio manda alla mente di se, e quali non si possono dire chomo sono facti. El corpo debba stare directo, con la bocca chiusa, ritenendo, quanto più si può ritenere, la spiratione del alito. Poi incomincerà a sentire nuove mutationi el corpo, delle quali dirò alcune... ».

Panziera peregrinam hanc theoriam Quietismi quatuor rationibus confutat, quas omittimus. Bene vero notat doctrinam hanc virtutibus et Sacramentis esse contrariam.

Aliam speciem Quietismi in Tuscia inventam describit Hieronymus Senensis O. E. S. A. versus saeculi XIV finem<sup>2</sup>. Sed cum nuper textus ille iterum impressus

*del modo del ben vivere secondo la Xpiana religione. In fine: Impresso in Venetia per Nicolo Brenta da Varena. Al traghietto de san Polo in corte Pitriani (B bi. Vatic., Stamp. Ross. 797). In hac editione Tractatulus contra Quietismum est: ultimum (XI) capitulum tractatus precedentis Della vita contemplativa. Marco da Lisbona. Chroniche. II. lib. VII. c. 26. ed. Napoli 1680, p. 402-04 textum parum contractum tractatuli praebet: Ragionamento di questo sant'uomo contra a quelli che non hanno attentione e memoria a Dio nell'orare. Iuxta Sbaralea. Suppl. ad Scriptores, ed. Nardecchia. I. Romae 1908, 383s., dicitur etiam Tractatus contra Begardos. Idem Sbaralea tractatulum in controversiis cum Mo'nos citatum fuisse notat.*

<sup>1</sup> In editione, Firenze, Miscomini, 1492. f. XXVIr-v.

<sup>2</sup> *Dell'opere toscane di Fr. Giro'lamo da Siena dell'Ordine Romitano di Santo Agostino pubblicate e di asserzioni storiche e critiche accresciute da Fr. Ildefonso di San Luigi Carmelitano Scalzo, 2 voll., Firenze 1770-1771: vol. I. 73s. — Hieronymus Senensis fuit discipulus S. Catharinae Senen-*

sit<sup>1</sup>, hic cum praetermittere licet. Noto tantum ab editore saeculi XVIII textum hunc expresse referri ad Quietismum a Molinos doctum<sup>2</sup>.

Vidimus inter sectae Spiritus libertatis placita fuisse liberi arbitrii negationem, cum Deus omnia operaretur in homine, unde inter actus bonos et malos (peccata) nulla distinctio, et proinde impeccabilitas. Quare, loco et tempore consideratis, potest esse quod casus quem Alvarus Pelagius ex « Italia » refert, ad Spiritus libertatis asseclam spectat. « Fuerunt alii haeretici, inquit<sup>3</sup>, qui dicebant liberum arbitrium nihil esse vel non posse iuvare ad salutem, contra quos ostendens Paulus liberum arbitrium esse cum gratia et operari cum ea, dicit<sup>4</sup> *et gratia eius in me vacua non fuit*. Quendam feminam quae<sup>5</sup> spiritualis apparebat, inveni in Italia in isto errore dicentem Deum in nobis sine nobis omnia operari; et correctam remansit ».

Notissimus est casus Pauli Zoppo, Fraticelli haeretici, contra quem Inquisitor haereticae pravitatis in Provincia Romana, Fr. Simon Philippi de Spoleto processit, Reate 1334<sup>6</sup>. Paulus Zoppo turpitudines cum mulieribus sub merito oboedientiae praetextu exercebat dixitque se « praedic-

sis. quae ad ipsum dedit epistolam. 52. in editione P. Misciattelli, *Le lettere di S. Caterina da Siena*, I, ed. 3, Siena 1922, 242-47. Eum commemorat Thomas Caffarini de Senis, *Supplemento alla Leggenda del B. Raimondo*, parte I, tract. I, § X. n. 12, ed. Roma 1866, p. 31.

<sup>1</sup> *Prose di cattolici italiani d'ogni secolo raccolte da Giovanni Papini e Don Giuseppe De Luca*, Torino 1941, 128s.

<sup>2</sup> *Dell'opere toscane cit.*, I, p. CLXX.

<sup>3</sup> Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae*, II, 8, ed. Venetiis 1560, f. 35rb.

<sup>4</sup> I Cor. 15, 10.

<sup>5</sup> Editio qui.

<sup>6</sup> Extractus ex hoc Processu edidit Ehrle, ALKG IV, 78-82; cf. 180. Processum integrum edidit L. Fumi, in *Bollettino della R. deputazione di storia patria per l'Umbria*, V, 1899, 349-382; cf. ibid. 226-229; 421s.

tum ritum et modum », qui Spoleti servabatur, a quodam Raymundo fraticello de Spoletto didicisse<sup>1</sup>. De spiritu libertatis in hoc Processu non fit sermo, sed non est dubium, quin immoralitates in eo descriptae sint fructus illius sectae<sup>2</sup>, non vero, ut voluit L. Fumi<sup>3</sup>, doctrinae Spiritualium franciscanorum sensu historico sumptorum. Quod si Paulus Zoppo in Processu dicat se ritum illum exercuisse « postquam incepit apparere spiritualis et spiritualis apparebat externis »<sup>4</sup>, vox « spiritualis » sensu originali hominis pii et interioris hic est sumenda, non vero sensu tecnico Spiritualium<sup>5</sup>.

Alius casus cum Spiritu libertatis forsitan cohaerens est ille laici Dominici Savi de Esculo, qui luxuriam non esse peccatum docebat et postquam relapsus est, in rogo fuit combustus a. 1344<sup>6</sup>.

Card. Ehrle imo in ritu Fraticellorum « barilotto » vocato, ut apparet in Processu contra Fraticellos a. 1466 Romae instituto, videt effectum Spiritus libertatis<sup>7</sup>.

Non praetereundum censeo, quod S. Bernardinus Senensis († 1444) in suis Sermonibus Spiritum libertatis commemorat et impugnat tamquam suo tempore

<sup>1</sup> Cf. L. Fumi l. c. 359.

<sup>2</sup> Cf. Ehrle, ALKG IV, 178ss.

<sup>3</sup> L. Fumi. l. c. 228.

<sup>4</sup> L. c. 372.

<sup>5</sup> Iuxta L. Bracaloni, O. F. M., *La Spiritualità francescana ascetica e mistica*, in *Studi Francescani*, S. III, XII, 1940, 7-21, Laus LX *O amor di povertate* inter opera Jacoponi de Tuderio, ed. Ferri, Bari 1915, p. 134<sup>s</sup>. composita fuisset a quodam quietista.

<sup>6</sup> Cf. C. Cantù, *Gli eretici d'Italia*, I, Torino 1865, 133; Lea, *A History of the Inquisition*, III, 125; Du Plessis d'Argentré, *Collectio iudiciorum*, I, 1, Paris 1724, 336s.

<sup>7</sup> ALKG IV, 126s.: cf. 164, 180.

adhuc existentem: « Absque cruce, inquit <sup>1</sup>, gratia meritoria, delectabilis atque coelestialis, devenit in admirabilem annihilationem, sicut per experientiam patet in his qui sequuntur spiritum amoris, spiritum libertatis, aut librum haeticum qui dicitur animarum simplicium, qui in erroribus suis damnatus est, extra de haetic. cap. unic. in clem. <sup>2</sup>. Contra quos Apostolus Philip. 3 <sup>3</sup> ait: *Nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi* etc. nam sicut ad Galat. <sup>4</sup> ait: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*: ac omnes praedicti contraria operantur multiplicibus erroribus illusi atque delusi, sicut per experientiam in eis reperi et probavi ».

In alio sermone similiter Sanctus loquitur de « sectantibus spiritum libertatis », persistentibus in errore suo <sup>5</sup>.

In Gallia meridionali anno 1322 Spiritum libertatis existisse et praxim Pauli Zoppo apud singulos quosdam Beguinos in usu fuisse, testatur Processus editus a Philippo Limborch <sup>6</sup>, in quo Processu Guilielmus Ruffi perversitatem suam ignominiosam confitens « dixit quod inter beguinos communiter dicebatur quod in partibus Italiae erant aliqui fratisselli et aliqui homines de penitentia qui erant de tali opinione, quod non reputabant esse per-

<sup>1</sup> *Quadragesimale de evangelio aeterno*, sermo 56, art. 3, cap. 3, S. Bernardini *Opera om.*, ed. Venetiis 1745, II, 374.

<sup>2</sup> Neque in Clementinis neque alibi inveni; Titulus III *De Haeticis* in libro V Clem. habet tria capita.

<sup>3</sup> Vers. 18.

<sup>4</sup> Vers. 24.

<sup>5</sup> *Quadragesimale de evangelio aeterno*, sermo 24, arg. 12, *Opera om.*, ed. cit. II, 135.

<sup>6</sup> Philippus a Limborch, *Liber sententiarum Inquisitionis tholosanae*, in eiusdem auctoris opere *Historia Inquisitionis*, Amstelodami 1692, 381-383.

fectum aliquem nisi possit se ponere nudum cum muliere nuda »<sup>1</sup>.

Demum « *Homines intelligentiae* » ineunte saeculo XV Bruxellis viventes, quorum unum caput erat Guillelmus de Hildernisse O. Carm. condemnatus a. 1411 a Petro Alliaco episcopo Cameracensi, capita quaedam doctrinae cum Spiritu libertatis communia habebant sed et insuper Joachimismum profitebantur accipiendo tres mundi aetates. Sed ii cum Spiritu libertatis Italiae vel Galliae meridionalis certo nullum habent connexum; utrum vero ab antiquis Germaniae Begardis descenderint, non constat. Unicus fons historiae huius sectae est Processus contra dictum Guillelmum et socios a. 1411 instructum<sup>2</sup>.

Aberrationum moralium ex insana falsaque doctrina mystica Quietismi promanantium historiam usque ad « *Alumbrados* » Hispaniae saeculi XVI et asseclas Michaelis de Molinos saeculi sequentis persequi possumus. Sed ii sicut praedicti « *homines intelligentiae* » cum Umbriae sectariis saeculi XIV non aliter cohaerent quam in certis falsis principiis in mores reduntantibus.

In omni fere saeculo doctrinae mysticae vesanae, in mores redundantes, nunc hic nunc illic surgere solent. Malitia et fragilitas humanae, aliquando et decepta simplicitas in his nefandis habent partem. Ecclesia vero magistra fidei et morum, semper vigilavit et vigilat, ne sub religionis no-

<sup>1</sup> L. c. 383, et ap. Fumi, qui in *Bollettino della R. deputazione di storia patria per l'Umbria*, V, 1899, 224-226, magnam partem Processus ex Limborch reproduxit.

<sup>2</sup> *Errores sectae hominum intelligentiae et processus factus contra fratrem Willelmum de Hildernissem Ordinis beatae Mariae de Monte Carmeli per Petrum de Alliaco Episcopum Cameracensem anno Christi MCCCCXI*, ap. Steph. Baluzium, *Miscellanea*, II, 277-299; ed. Mansi, *Lucae* 1761, II, 288-293; Duplessis d'Argentré, *Collectio iudiciorum* 1, 2, Parisiis 1724, 201-209.



mine vel praetextu opprobriosa facinora exercentur. Cuius rei exemplum est et repressio Spiritus libertatis, quem in sua origine, propagatione, doctrina, exitu in praecedentibus studui enucleare, iuxta fontes varios lateque sparsos, quorum principaliores in sequente Parte II editurus sum.

\*  
\* \*

Absoluta nostra de Spiritu libertatis disquisitione, fructus eius praecipuos paucis liceat recolligere.

1. — Sectae Spiritus libertatis, primis saeculi XIV annis in Umbria sparsae, auctor est Bentivenga de Eugubio, qui pertinuerat ad coetum rudem ac sceleratum Pseudo-apostolorum Gerardi Segarelli, quibus a. 1286 suppressis, ad Ordinem Fratrum Minorum transiit, imprudenter receptus in Provinciam S. Francisci seu Umbriae, in qua praedicator effectus vocabatur « apostolus », primum procul dubio ratione eius originis, deinde vero ob mentitam eius sanctitatem.

2. — Bentivenga venenum erroris Spiritus libertatis in Umbria occulte sparsit et habuit sequaces, inter quos pauci quidam Fratres Minores Provinciae Umbriae religiosique alii dubiae indolis atque utriusque sexus saeculares. Prima vestigia certa haeresis sunt anni 1304, sed inde a fine saeculi XIII forsitan iam existebat.

3. — Altero medio anno 1306 vel initio anni 1307 opera S. Clarae de Montefalco O.S.A., quam haeretici, hucusque occulti, suis placitis lucrari frustra tentabant, haeresis detecta est eiusque asseclae a Sancta Card. Napoleoni Orsini, Legato apostolico in Tuscia, sunt denunciati, qui Cardinalis eos capi fecit et ad se, Aretii tunc moranti, adduci. Ibi Ben-

tivenga ab Ubertino a Casali, Legati capellano, iudicialiter haeresis est convictus ac cum sequacibus ad perpetuum carcerem condemnatus. Obit in carcere Inquisitionis florentinae ante a. 1332. Haeresi detecta, duo Visitatores, Grimaldus a Prato et Guido de Tuschis a Bononia, a Ministro Generali Ordinis Minorum in Provinciam Umbriae missi sunt, ut de Spiritu libertatis inquirerent. Hi Fr. Franciscum de Burgo S. Sepulcri, Prophetam dictum, de Spiritu libertatis suspectum, et forsan alios condemnaverunt.

4. — Anno 1311, 1 apr., Clemens V bullam *Dilectus Domini* edidit, qua errores sectae profligantur et Raynerius, episcopus Cremonensis, Inquisitor in Valle Spoletana instituitur ad extirpandum Spiritum libertatis. Is 29 oct. 1311 Assisii virtualiter absolvit Fr. Franciscum, Prophetam dictum, a duobus Visitoribus (cf. 3), durius condemnatum. Alii quidam casus singuli etiam postea inveniuntur.

5. — Iuxta Arnaldum de Villanova universim 240 personae reperti sunt Spiritu libertatis infecti, inter quos, aiente Raymundo Fronsiaco, erant septem Fratres Provinciae Umbriae. Minime vero agebatur de Spiritualibus seu Zelantibus, qui generatim huius erroris erant immunes.

6. — Doctrina fundamentalis Spiritus libertatis a Pantheismo et Joachimismo liber est, qui errores apud Amalricianos, Begardos et partim Dulcinistas inveniuntur, cum quibus igitur Spiritus libertatis non est confundendus. Huius placita praecipua sunt Quietismus, liberi arbitrii negatio, impeccabilitas.

P A R S I I

TEXTUS ET DOCUMENTA



## I.

NARRATIONES DE SPIRITU LIBERTATIS EX LEGENDA  
S. CLARAE DE MONTEFALCO, AUCTORE BERENGARIO  
DE S. AFRICANO (1309-1315).5 (Bibl. Vatic. Cod. Barb. lat. 383, membr.-chart., saec. XV)<sup>1</sup>

1. — [f. 125v] Quamvis<sup>2</sup> autem Clara dominarum sui monasterii sanctitatem cognosceret in Dei servitio radicatum, unum tamen principaliter formidabat, scil. ne falsi religiosi et ypocrite

<sup>1</sup> Codex est miscellaneus a diversis manibus vario tempore conscriptus. Post opera quaedam spiritualia S. Bernardi, S. Augustini, S. Anselmi (*Meditationes*), vel eis adscripta, sequuntur f. 89r-97r (rubr.): *Precepta decalogi secundum Alex. de Ales in suo tertio sententiarum di. 37.* — *Quoniam secundum apostolum docendo sumus sapientibus et insipientibus debitores.* Expl. f. 97r: *Similiter cum dicitur: Non concupisces, intelligitur universaliter prohiberi concupiscentia voluntatis male, quamvis ad aliqua determinetur.* (Sequitur spatium vacuum et folia 97v-103v vacantia). Tractatus iste diversus esse videtur ab illo indicato a P. Glorieux, *Répertoire des Maîtres en Théologie de Paris au XIII<sup>e</sup> siècle*, II, Paris 1933, 24, scil. Magdalene College, Oxoniae, cod. 68. — F. 104r-162v: (Vita et miracula S. Clarae de Montefalco auctore Berengario de S. Africano), f. 104r in marg. superiori: *yhS. Incipit vita sancte Clare de cruce. — Cum sancte recordationis domina Clara. — Expl. f. 162v: qua ipse eum recomendavit sancte virgini, sine aliquo intervallo temporis. — Finito libro redantur de omnibus hiis laudes ihu X<sup>o</sup> qui nos iustificet per sanctorum suorum exempla et merita amen.* f. 163v quaedam exempla.

Vita S. Clarae duabus manibus scripta est: f. 104r-143r; f. 143r-162v. Textus maxime accedit ad cod. 21 (A. V. 15) Bibl. Casanatensis, a Faloci Pulignani non sine mendis editum, a quo tamen non pendet, f. 128r in marg. sup. manu antiqua *yhS. MA. FRA.* idest: *Iesus Maria Franciscus.* In unco aeneo cooperculi posterioris (cooperculum prius deficit) impressum est monogramma *yhS* cum radiis, sicut S. Bernardinus Senensis introduxerat. Ex variis his indiciis codicem esse originis franciscanae patet.

<sup>2</sup> In *Vita* ed. Faloci, 79s.; ed. De Töth, 60-62.

familiari colloquio sub virtutum similitudine niterentur seducere aliquam<sup>1</sup> dominarum, presertim cum aliquas personas sanctitatis famose nomine premunitas audivisset pluries in defectus pessimos talium familiaritatibus cecidisse. Et ideo cum huiusmodi deceptores sub sanctitatis pallio ad monasterium veniebant, Clara eorum adventum multotiens predicebat et in adventu aliquorum dicebat: Infra brevis<sup>2</sup> temporis spatium habebitis hic personam in tali quem designabat habitu incedentem, que inter vos errores sui spiritus nititur seminare. Ecce iam per tantum temporis se fraudulentis cogitationibus preparavit, volens [f. 126r] ostendere coram vobis se esse quod numquam attigit, et invenire, si poterit, reprehensionis occasionem in vobis. Ab eius ergo confabulatione attendite, nulla sibi loquatur nisi quod per me iniunctum extiterit. Talium etiam personarum, antequam venirent ad monasterium, interdum nomina exprimebat, interdum per circumstantias persone et habitus designabat, tempus etiam earum sic exprimens quod quandoque diem et horam antea predicebat, in omnibus sic se habens sicut sibi fuerat a Domino revelatum. Et si tali periculose supervenienti persone aliqua dominarum ex imprudentia loqueretur, Clara eam vocatam ex nomine ad se faciebat venire et ipsam ab illius conversatione conspiciens, defectum eius et causam prohibitionis colloquii reserabat, Dei honore in omnibus et fama proximi, in quantum cum Deo poterat, observatis.

Et ut unum quod pluribus fuit notum ad licteram exprimat, quia domine que in monasterio post Clare transitum remanserunt, nolebant personam aliquam infamare super hiis que solum in monasterio nota erant. Clara die quadam loquens sororibus suis dixit: Duos tales religiosos quos nominatim expressit in sue religionis habitu vidi ad monasterium hoc venire; ab eorum conversatione quolibet vestrum absteineat, nulla vestrum eorum alicui loqui<sup>3</sup> quomodocunque presumat. Unus enim eorum in lupi rapacis specie veniebat, alter vero in forma porci, et quasi porcus effectus

<sup>1</sup> Compendium hic et in sequentibus ita scriptum est ut legere oporteret aliquem.

<sup>2</sup> Cod. et Ed. s. breti.

<sup>3</sup> Cod. loquio.

caudam maximam et revolutam ferebat. Lupus rapax animas Deo subtrahere nititur, porcus autem propter caudam retinens odium, ad imunda opera machinatur. Et ecce fratres predicti eadem die vel in proximo simul ad monasterium accesserunt. Quibus Clara  
 5 ad gratem veniens post aliquale colloquium dixit: Nolo fratres quod in isto monasterio conversationem aliquam habeatis, nec est vestrum officium familiaritas dominarum. Cumque, dictis fratribus turbatis in animo, lupus ille signa humilitatis [f. 126v] ostenderet et causam quare Clara conversationem eorum nolebat quereret in-  
 10 portune, Clara eis retulit visionem, addens quod nolebat in monasterio aliquem conversari, nisi illas personas ad quarum officium pertineret.

2. — [f. 128r]: Inter<sup>1</sup> alias revelationes quas Clara frequenter habebat, quadam nocte vidit quamdam nebulam maxime obscuritatis super mare fluctuantem, in vius nebule medio quidam  
 15 in similitudine crucifixi iacebat, et circa eum multitudo virorum et mulierum religiosarum<sup>2</sup> et secularium, ex quibus Clara cognovit quam plurimos (qui) illi crucifixo et infra ipsam nebulam assistebant. Qui crucifixum illum totis viribus adorantes et ipsum deum  
 20 esse erronee oppina(n)tes, calorem magnum set inordinatum de ipso sumebant. Clara autem ab illis miseris invitata ut crucifixum illum una cum eis ut dominum adoraret, fraudis dyabolice subtilitatem agnovit et ad illum adorandum accedere noluit, quin immo ab eius assistentia se retraxit cognoscens quod crucifixi illius visio  
 25 non influebat spiritualem anime unctionem et quod amor calidus quem de illo adorantes sumebant in appetitus illicitos et impudicas carnis libidines vertebatur, que Clara super omnia abhorrebat. Ex quibus Clara crucifixum illum esse demonem recognovit, qui sibi credentes ad hanc perfidiam et mentis excepcionem deduxerat, ut eis carnalis delectatio et immunditia licite viderentur. Interim autem cum Clara unum de illis adorantibus virum sanctitatis  
 30 famose divulgato sermone apud homines nominatum pre ceteris notavisset, quidam demon alius cepit Clare detrahere sic dicendo:

<sup>1</sup> In *Vita* ed. Faloci, 84-91; ed. De Töth, 65-74.

<sup>2</sup> Cod. *reliosarum*.

Unum habemus de tuis. Clara dixit: De meis non, neq̄ de tuis  
fuisset, si meis locutionibus credidisset.

Postmodum autem processu temporis quidam frater ordinis Mi-  
norum <sup>1</sup> [f. 128v] ad monasterium veniens tria ipsi Clare propo-  
5 suit, quasi peteret consilium super eis que a fratre eiusdem ordi-  
nis de Eugubio, de sanctitate tunc temporis plurimum commen-  
dato, se audivisse et super eis se dubitare dicebat, scilicet quod  
homo potest facere quicquid vult, et quod infernus non est et  
quod anima potest perdere desiderium in hac vita. Clara autem,  
10 quia verba huiusmodi sibi videbantur venenum horroris habere et  
pregnantia intellectu, subito non respondit, sed verborum intelli-  
gentiam (per) prolixè orationis fervorem nocte sequenti a Domino  
requisivit. Qua habita in crastinum eidem fratri respondit: Verba  
illa super quibus me consulueras, venenum pessimum in se gerunt  
15 nisi intelligantur discrete. Infernus non est ad bonorum dumtaxat  
supplicium, et homo potest facere quod vult, hoc modo videlicet  
quod eius voluntas sit ordinata in Deum. Est enim possibile quod  
Deus sic ordinat voluntatem alicuius persone quod voluntatem  
propriam hominis sibi aufert et dat ei voluntatem ordinatam suam  
20 scilicet ipsius Dei, et voluntatem talis persone Deus sue volunta-  
ti taliter coadaptat ut nichil appetat quod divine possit esse con-  
trarium voluntati. Et tunc talis persona potest facere quicquid vult,  
quia velle ipsius aliud non est nisi quod Deus vult. Et illi qui  
dicunt se posse facere quicquid volunt, non dicunt veritatem,  
25 nisi talem statum haberent ut dixi. Anima vero perdit desiderium  
isto modo: non quod nichil appetat in hac vita existens, sed est  
possibile et contingit interdum quod anima in contemplationis fer-  
vore per raptum vel aliam elevationem in <sup>2</sup> Deum absorta, immersa  
et reposita coniunctione mirabili in dilecto quiescit, quod in illo  
30 puncto quo anima in illo statu consistit, nil aliud appetat quam  
quod habet. Frater autem predictus, auditis Clare sermonibus, er-  
rores quos tenebat in animo non detexit set obmutescens abscessit.

<sup>1</sup> Scil. Iacobus Capitonis discipulus Bentivengae de Eugubio.

<sup>2</sup> Cod. et.



Et post aliquod temporis spacium <sup>1</sup> ambo fratres predicti scilicet Bentivenga heresyarca ac magister erroris, et Iacobus eius discipulus, tunc occulti, quorum uterque predicationis officium in ordine Minorum habebat, et quasi inter ceteros de Provincia illa de sanctitate commendati in reverencia habebantur, et maxime heresyarca predictus, quodam sero de libertate anime loqui incipiens asserebat quod anima perdit desiderium et quod homo sine timore aliquo offensionis divine potest carnalia [f. 129r] desideria adimplere et licite committere quicquid velit, nulla habita differentia alicuius peccati. Et verba que ipsemet antea dixerat iuxta sensum litteralem et absque determinatione, credens, intelligens et assumens, vilipendebat expositionem virginis supra scriptam. Clara dixit: Anima nunquam perdit desiderium in hac vita, nunquam enim fidelis anima potest stare fixa in hac vita, ut non moveatur in gratia sibi data vel infusa a Deo, quin semper appetat maiora et altiora et cupiat, querat et inveniat. De necessitate enim oportet quod anima aut crescat de virtute in virtutem aut, si hoc non faciat, quod decrescat, quia amor Dei nescit existere otiosus; et si peccandi libertas daretur anime, hoc non esset libertas sed subiectio et servitus dyaboli: homo enim peccando dyaboli servus efficitur et a Dei deviat voluntate et anima contra voluntatem Domini faciens peccato et peccando sic efficitur subiecta diaboli et ancilla.

In huiusmodi autem colloquio quamvis Clara verba heresyarce predicti affirmantis que prius dixerat, errores esse cognosceret, quia tamen frater ille multum honorabilis in suo ordine habebatur et de sanctitate commendabatur plurimum, nec error illius usque adhuc erat detectus, ideo sibi mite et cum quadam verbali reverentia loquebatur. Et in quodam dubio posita utrum heresyarcha predictus errores illos ut dicebat crederet et sentiret, an temptando forsitan loqueretur, sibi in tantum loquebatur modeste quod veritatem defendens inpugnabat errores et turbationem animi non mo(n)strabat. Verum quia noctis propinquitas non patiebatur colloquium ampliari, recesserunt predicti heretici, ad suum conventum, ut venerant, redierunt. Clara vero nocte illa orationi insistens vidit

<sup>1</sup> In marg.

Christum Dominum sibi turbatam faciem ostendentem, eo quod nimis molliter predicto heretico fuerat colloquuta et ipsius erroribus ferventiori audacia non duxerat resistendum. Certificavit etiam Christus eam quod illi miseri sic turpiter erant lapsi et quod

5 errores quos asseruerant, esse veritatem credebant taliter excecari.

Mane autem facto idem fratres ad monasterium redierunt et heresyarcha predicto errores huiusmodi asserente, Clara ei audacius solito respondebat et veritatem catholicam cum quodam maximo fervore spiritus defendebat. Ex quibus heresyarcha [f. 129v] miratus et turbatus eo quod Clara suis erroribus non credebant, ipsam

10 interrogando dixit: Potestne homo mulierem cognoscens carnaliter mane sequenti recipere corpus Christi? Hoc dicens dictus hereticus, etiam si absque excusatione matrimonii ex sola carnis libidine cognoscatur. Clara vero, quamvis ex verborum turpitudine

15 turbata fuisset, tamen propter defensionem fidei et veritatis respondit: non. Heresyarcha dixit: Posset Deus hoc facere. Clara respondit: Deus non est auctor peccati et si peccatum faceret, Deus non esset, hoc autem peccatum esset. Et heresyarcha predictus quasi eam et eius verba despiceret subridens ait: Permittit

20 hoc Deus? Clara respondit: permittit. Heresyarcha dixit: Nichil fit nisi Domino permittente, quia secundum Scripture testimonium non cadit etiam frons arboris super terram nisi permissione divina, ergo postquam Deus hoc permittit, est bonum, quia Deus qui bonus est, nichil permetteret nisi bonum. Clara dixit: In hiis

25 duo sunt; est enim in homine peccati prohibiti operatio que semper est mala, et est in Deo permissio, que semper est bona. Unde quod Deus ibi facit est bonum, scilicet ipsa permissio et bonum inde sequitur, quia fructus et nobilitas virtutis melius apparet propter vitii vilitatem. Deindē memoratus heresyarcha ad sui ful-

30 cumentum erroris per modum interrogationis adiunxit: Cum Magdalena maioris sit meriti quam Agnes, quid Deo plus placuit, aut [Agnētis virginitas aut] corruptio Ma(g)dalene? Clara respondit: Non dubito quia Agnētis virginitas Deo placuit et ideo displicuit corruptio Magdalene. Non nego per hoc quin maioris meriti

35 possit esse Magdalena quam Agnes, quia in Magdalena post peccatum potuit esse tanta contritio, tantus devotionis et caritatis fer-

vor, tantaque plenitudo virtutum, quod potuit in merito super  
 excedere virginitatem Agnetis, non quod peccatum Deo placuerit,  
 sed bona postmodum secuta. Heresyarcha vero predictus, quia ra-  
 tionibus Claram non poterat superare, se ad Scripture et sancto-  
 5 rum auctoritates convertit. Et plures auctoritates allegans, plures  
 sanctos et Scripturas eius oppinionem erroneam fundavisse dicebat.  
 Clara respondit: Ego Scripturas non didici et ea que dico non  
 assero quod legerim in Scripturis, sed quia veritatem quam assero  
 mihi Dominus revelavit et a catholicis predicatoribus contrarium  
 10 non audiui, et sum certa quod me Dominus non decepit<sup>1</sup> et ea  
 que ego [f. 130r] assero possent per Scripturarum et sanctorum  
 testimonia comprobari. Tu autem, miser, per malitiosum et fal-  
 sum intellectum exponis Scripturas, aut non intelligis et desipis  
 cum sic sapis. Hoc volo te etiam non latere, quod sancti quos sic  
 15 allegasti frequenter, honestatem non esse servandam et alios erro-  
 res quos tu asseris, non dixerunt, quos si dixissent, sancti non  
 essent. Nec talibus erroribus unquam crederem neque credam, a  
 tali sum edocta magistro. Quin immo si omnes mundi homines  
 dicerent et crederent que tu dicis, ego sola ab ista veritate, quam  
 20 mihi ostendit Dominus et quam asserui, nullatenus declinarem  
 Modo etiam me videre presentialiter recognosco quod mihi Do-  
 minus dudum revelavit per visum. Videbam enim quod quidam  
 istius tui spiritus cecitate percussus et utroque oculo excecatus  
 mihi locuturus ad istud monasterium veniebat et nunc cognosco  
 25 presentialiter quod tu es ille taliter excecatus. Heresyarcha dixit:  
 Verum dicis quod ille mei spiritus, quem in visione videbas, tibi  
 cecus utroque oculo videbatur, quia cum tu intellectu sis grossa  
 subtilitatem et profunditatem mei spiritus non attingis. Clara di-  
 xit: Ego subtilitatem tui spiritus intelligo et errorem, set ipsum  
 30 non sequor, tibi multum compatiens quod sic turpiter es prolapsus  
 et a Domino separatus. Et tunc Clara ex compaxione et dolore  
 erroris et dampnationis illius, cepit plorare plantu amarissimo et  
 dixit: Doleo de tua perfidia obstinata, doleo etiam de labore  
 quem pro te ingrato Dominus substinuit in hoc mundo. Here-

<sup>1</sup> Corr. ex deceperit.

syarcha autem fortiter ridere incepit dicens: Rogo Deum quod  
 spiritum quem ego habeo tibi donet. Clara dixit: Ante permittat  
 Deus omnes tribulationes, que possent in hoc mundo contingere,  
 super me sicut sibi placuerit evenire et certa sum quod Dominus  
 5 tantum dispendium mee anime non permittet. Tunc heresyarcha:  
 Si ea que de meo spiritu sentio possem publice predicare, infra  
 brevi(s) temporis spatium totum mundum rectificarem, et converte-  
 rem ad mei spiritus veritatem. Clara dixit: Quare ergo non pre-  
 dicas? Heresyarcha respondit: quia timeo. Clara dixit: Ergo meus  
 10 spiritus est melior tuo et Dominus meus quem ego diligo, illum  
 quem tu diligis<sup>1</sup> superat et excedit. Ego enim nullum timorem  
 habeo et pro defensione veritatis quam assero, non dubitarem in  
 aliquo mortis subire discrimen. Nam Deus meus cui amore inhe-  
 reo est spiritus veritatis, qui eum habentibus audacem constantiam  
 15 tribuit, [f. 130v] et tanto audacior et constantior quis efficitur et  
 securior, nec corporis penas timet quanto quis appropinquat<sup>2</sup> am-  
 plius Domino Deo meo. Spiritus autem tuus est spiritus falsitatis  
 qui timori subiacet et est miser et vilis.

Cumque hiis et aliis pluribus sermonibus quos labilis domina-  
 20 rum memoria retinere non potuit, disputando fuissent diutius im-  
 morati<sup>3</sup>, adeo quod dies, hora nona transacta, ad vesperum decli-  
 nabat, memoratus heresyarcha a loco in quo sedebat surrexit et  
 ad altare appropinquans appodiavit<sup>4</sup> se ei, et cum in aliquantu-  
 lum sic stetisset, reversus ad gratem unde recesserat, dixit Clara:  
 25 Dominus mihi modo dixit, quod non est demon alius nisi ipse.  
 Demon enim est sapientia et Deus est sapientia, unde Deus est  
 demon. Clara dixit: Deus est summa sapientia, demon est summa  
 malitia.

30 Post hoc autem heresyarcha predictus, quia virtuti spiritus *qui*  
*loquebatur* in Clara resistere amplius non valebat<sup>5</sup>, abscessit. Clara

<sup>1</sup> Corr. in marg.

<sup>2</sup> Cod. hic et deinceps *appropinquat*.

<sup>3</sup> Cod. *inordinati*.

<sup>4</sup> Ex italico *appoggiare* = *inriti*.

<sup>5</sup> Cf. Act. 6, 10.

vero conversa ad dominas dixit eis: Ego non dixi me isto homine meliorem eo quod in me aliquam sentiam bonitatem, sed solum ad honorem Dei et contra errorem illius.

In quadam visione Christus apparuit ipsi Clare oranti et Christus nudis pedibus incedebat, veste longa indutus, et ipsa vestis erat in tantum candida quod eius comparatione nix videretur obscura. Clara vero agnoscens Dominum genuflexit et pedes eius osculari desiderans inclinavit. Christus autem sua veste candida primo pedes operuit et sic opertos osculari permisit et Claram benedicens disparuit. Et Clara ex visione huiusmodi intellexit Christum in honestate et pudicitia, quam ipsa semper dilexerat, diligendum et quod Deus habet odio istos hereticos de secta spiritus libertatis, qui tenent opera inhonesta et turpia non esse peccatum.

Et ex tunc post disputationem predictam, inhabitam cum praefatis hereticis, virgo Clara, zelatrix catholice fidei, in persecutione dicte secte hereseos sic fideliter laboravit, quod eos et credentes eisdem quam plures denunciavit ordinis <sup>1</sup> supra dicti <sup>2</sup> et aliis quibusdam provincie ducatus praelatis, nec non aliquibus sancte romane ecclesie cardinalibus, qui in illis partibus tunc temporis morabantur, donec super predicto crimine fuit formata inquisitio contra illos et reperti culpabiles condemnati fuerunt perpetuo carceri mancipati.

Nec sine magna fiducia optinende destructionis eorum talia procurabat. Viderat enim, sibi Domino revelante, quod de medio obscuritatis cuiusdam [f. 131r] diluvii grandinosi quidam fluvius rapacissimus veniebat per provinciam et ducatus Tuscie, et cum illa grandine tanto inpetu discurrebat, quod pulcerrimas arbores de virgultis delitiosis vellens, poma, quae dum erant in ipsis arboribus, videbantur pulcerrima, sua ingluvie absorbebat. Et poma illa, quamvis essent delectabilia in aspectu dum adhuc super arbores existebant, postquam absorpta in fluvium fuerant, comprobata in sui apertione apparebant esse vana et vacua et nil aliud continere nisi abhominabilem feditatem.

<sup>1</sup> Ita cod. noster et codd. Casanatensis ac Montisfalci; supplendum est *praelatis* quod statim post sequitur.

<sup>2</sup> Pro *supra dicti*, Faloci legit *sancti Dominici*!

3. — [f. 134r] Quidam<sup>1</sup> frater de Mevanea ordinis Minorum  
 veniens quadam die ad monasterium, inter alia dixit Clare: Quid  
 est hoc, Clara? Ego quandam personam reperi, que in tanta pace  
 et quiete [f. 134v] consistit quod ex facto aliquo non turbatur.  
 5 Clara dixit: Si illa persona de qua tu loqueris peccatum com-  
 mitti et Deum offendi videret, nunquid ex facto huiusmodi tur-  
 baretur? Dictus frater respondit: In nullo movetur. Clara dixit:  
 Non potest dici quod illa persona in se pacem habeat vel quie-  
 tem, immo est mortua spiritualiter et non vivit, quia sicut corpus  
 10 quod est mortuum nichil sentit, ita anima que non sentit et non  
 movetur ac turbatur quando Deus offenditur, est mortua spiritua-  
 liter nec potest dici quod pacem habeat vel quietem. Et adhuc  
 Clara adiecit: Proba modo super illam personam quantum statum  
 se putat habere et da illi unam alapam in maxilla aut cum lapide  
 15 unum ictum, et tunc videbis quod nec habet pacem nec patien-  
 tiam, quia nec spiritum Dei habet. Quid si forsitan non vis per-  
 sonam illam percutere, saltem eam interroga an turbaretur si quis  
 eam percuteret, et tunc videbis quid dicet. Frater ille dixit: Modo  
 ista intelligo set nunquam alias intellexi, et de responsione Clare  
 20 se contentum ostendens abscessit. Et post recessum illius Clara  
 cepit in animo suo suspicari quod idem frater fuisset de se locu-  
 tus. Et suspicionem concipiens contra eum quod mentem haberet  
 corruptam et esset de heresi secte spiritus libertatis, dixit aliqui-  
 bus dominabus: Timeo quod iste sit de isto spiritu errato. Et  
 25 conpatiebatur sibi quam plurimum ac etiam verba et signa displi-  
 centie ostendebat eo quod diutius<sup>2</sup> eidem fratri<sup>3</sup> non fuerat col-  
 locuta et adhuc subtilius non investigaverat quid sentiret.

Postmodum vero dictus frater ad monasterium rediit et Clara  
 propter suspensiones quas conceperat, fortius contra eum zelo fidei  
 30 orthodoxe accensa, cepit loqui cum magno fervore spiritus de per-  
 fectione anime et de statu ipsius ad Deum, verba sua continuans  
 illis super quibus fuerant antea collocti. Et ambobus invicem

<sup>1</sup> In *Vita* ed. Faloci, 99-102, cđ. De Töth. 83-86. Est Iohannutius de Mevania, dictus Pulcinus.

<sup>2</sup> Cod. *dirutus*.

<sup>3</sup> Cod. *fr*.

conferentibus, Clara colloquium ampliabat, ut per verba illius sal-  
 tem per aliqua inditia posset cognoscere, an dictus frater in here-  
 sim esset lapsus. Et durante colloquio frater predictus dixit: Clara,  
 ego fui per annos quatuor in quadam pace maxima et quiete  
 5 quod ex facto aliquo turbationem vel mutationem aliquam non  
 accepi et fuit datus mihi postea quidam status quod me in tanta  
 perfectione videbam, quod videbam et cognoscebam Deum in om-  
 nibus et continue delectabar in eo. Clara autem intelligens quod  
 frater ille in securo stare credebat, dixit illi: Cave, cave frater,  
 10 quia tu credis stare in alto, sed caveas de descensu et quomodo  
 descendes. Qui respondit: Faciat Deus ascensum suum quia non  
 curo sive auferat sive donet. Et tunc Clara magnam suspicionem  
 habuit contra eum, tamen adhuc noluit iudicare. Nam imaginata  
 est, sicut postea retulit dominabus, quod posset aliqua anima tante  
 15 humilitatis existere quod non turbaretur si Deus auferret gratias  
 quas consuevisset habere, eo quod Dei beneficiis videret [f. 135r]  
 et cognosceret se indignam. Verum quia dicto fratri videbatur  
 quod Clara sibi non crederet in predictis adiunxit: Or<sup>1</sup> vide Clara,  
 si homo aliquis in aliqua domo esset, in qua domo lumen quod-  
 20 dam existeret et nichil aliud preter lumen, homo ille nichil posset  
 videre aliud preter lumen, cum nichil aliud esset ibi. Clara dixit:  
 Fateor quod aliquando anima est sic Deo coniuncta et elevata et  
 absorpta in Deum quod in illo puncto non videt nec sentit aliquid  
 nisi Deum, licet homo in hoc mundo non potest dominare con-  
 25 tinue curam; persone etiam que statum et gratiam istam habent,  
 modico tempore in hoc statu consistunt et cito reddeunt ad se  
 ipsas. Et postquam ad se redierint, statim anima talis cuiuscunque  
 persone timori subiacet et debet etiam de se ipsa timere; et hiis  
 dictis, frater predictus recessit. Et post recessum illius Clara verba  
 30 fratris illius considerans et timens quod in heresim esset lapsus,  
 dixit quibusdam monasterii monialibus que ibi tunc presentialiter  
 secum erant: Ego plene non possum cognoscere an iste frater in  
 errorem sit lapsus; ipse enim dicit aliquando verba bona et sancta  
 et interdum in suis locutionibus verba alia interponit que videntur

<sup>1</sup> *Italice or vel ora = nunc.*

suspecta etiam de isto spiritu maledicto, et postmodum, si quid suspectum dixerit, recooperit et palliat verba sua, unde nec eum possum tenere in firmo. Verum quia ipsum suspectum habeo vehementer, quamvis nondum plene possim discernere casum eius, 5 vos tamen, ut in securo possitis existere, ab eius locutionibus abstinete et vos ab eo tanquam ab uno pessimo homine custodite.

Et postmodum cum Clara infirmata fuisset infirmitate qua de mundo transivit, venit predictus frater ad monasterium a suo superiore transmissus ut Clare confessionem audiret et quamvis idem 10 frater nondum hereticus ab aliquo diceretur, quia tamen Clara contra eum, ut dictum est, inceperat suspicari, in ipsa confessione Clara predictam resumpsit materiam et ea que illi alias dixerat ad huc denuo, quamvis infirmitate gravata, in fervore spiritus asserbat. Cui frater dixit: Clara, ego fateor me credere ut tu credis. 15 Clara dixit: Ista est mea credulitas atque fides quod quelibet anima quam diu in hoc seculo cum corpore suo vivit, Deum potest offendere et offenderet, si Deus eam dimicteret sibi ipsi. Et ideo quanto maior est, tanto debet timere amplius et cavere ne cadat. Et post recessum fratris illius Clara retulit dominabus pre- 20 scripta et alia que dicta fuerant inter eos, quamvis ipse domine plura nequiverint retinere.



II.

TESTIMONIA DE SPIRITU LIBERTATIS  
EX PROCESSU APOSTOLICO CANONIZATIONIS  
S. CLARAE DE MONTEFALCO (1318-1319)

5 (Arch. Vatic.: *Archivio dei Riti*, Processo 2929).

I. — SOROR MARINA MAGISTRI JACOBI DE MONTEFALCO.

[f. 87r] (art. 86): Item dicit quod ipsa s.<sup>1</sup> Clara dixit sibi, quod in quadam congregatione hominum, qui erant simul congregati, ipsa vidit unum daemonem in modum crucifixi in domo  
10 illa ubi erant praedicti, et qui crucifixus dabat eis magnam consolationem, sed tota haec consolatio convertebatur in deceptionem eorum, quo ad peccata carnis et ad libidinem carnis. Et fuerunt ii homines de illis qui habuerunt postea peccatum de spiritu libertatis.

15 [f. 96r] (art. 105)... Interrogata de temporibus (et)<sup>2</sup> de quibus religiosis praedixit, dixit quod praedixit de fratre Bentevegna Ordinis Minorum, quem postea invenit infectum de errore spiritus libertatis, et de quibusdam aliis religiosis, videlicet fratre Iacomo Capitonis et fratre Petro Salamonis de Montefalco. Interrogata de temporibus, mensibus et die, dixit de temporibus distincte  
20 non recordari. Interrogata de praesentibus, dixit de dominabus monasterii, de quibus etiam distincte non recordatur. Interrogata de loco, dixit in monasterio.

<sup>1</sup> Non est legendum *sancta*, sed *soror*, ut aliquando litteris plenis infra scribitur.

<sup>2</sup> Ita inter parentheses supra lineam; ab amanuensi videtur additum, et eodem modo infra pluries

[f. 100r] Super CXII articulo, qui incipit: Item dicit et probare intendit etc., eo sibi per ordinem lecto et vulgarizato, interrogata respondit et dixit vera esse contenta in articulo. Interrogata quomodo scit, dixit scire quia audivit a dicta [f. 100v] s. Clara et sorore Joanna nunc abbatissa. Interrogata de tempore et mense et die qua locuta est cum ipso fratre Bentevegna et qua convinct<sup>1</sup> eum de errore suo... dixit se non recordari distincte.

[f. 100v] (art. 113) ...et dixit quod nollet (s. Clara) quod aliqua creatura conversaretur [f. 101r] cum eo, quia ipse erat reus, vel loqueretur eidem fratri Bentevegna aliqua. Interrogata de tempore, dixit de illo tempore quo convicit eum de dicto errore...

2. — SOROR THOMASSA FILIA QUONDAM MAGISTRI ANGELI DE MONTEFALCO.

[f. 229v] (art. 86) Dixit etiam dicta testis... quod audivit a dicta s. Clara quod ipsa s. Clara viderat quadam vice, tempore quo per patriam vallis spoletanae fustigabant se homines nudi, et ibant de civitatibus, villis et castris catervatim in turba [f. 230r] fustigando se, dicentes quod hoc faciebant propter penitentiam et reverentiam Dei; ipsa s. Clara habuit quamdam revelationem, et vidit quod in quadam domo magna stabat quidam daemon in modum Crucifixi, et populus magnus circa ipsum Crucifixum, exhibendo eidem Crucifixo reverentiam; et videbat quod ab ipso Crucifixo egrediebatur quidam calor, qui videbatur incendere populum circumstantem ad vitia et carnalitates. Quam visionem ipsa s. Clara retulit ipsi testi et quibusdam aliis sororibus, et dixit eis, praecipue ipsi testi, quadam vice: or<sup>2</sup> videbitis quod de ista congregatione fustigatorum multum malum exhibit. Et post aliquod tempus [f. 230v] de numero istorum fustigatorum exiverunt et surrexerunt quidam sequentes et docentes errorem de libertate

<sup>1</sup> Ita codex pro *convicit*.

<sup>2</sup> Italice ex ora = nunc.

spiritus. Dixit etiam quod multa praedixit de iis fustigantibus se, per revelationem divinam, de quibus... non recordatur<sup>1</sup>.

[f. 233v] (art. 88) Item dixit ipsa testis quod audivit a s. Clara quod ipsa redarguerat quemdam fratrem Minorem, nomine fra-  
5 trem Joannuctium de Mevania, Ordinis Minorum, de quadam mala tentatione vel illusionem demonis quam ipse habuerat; ex qua occasione noluerunt Sorores monasterii quod plus veniret ad monasterium pro Missa celebranda sicut primo consueverat.

[f. 245r] (art. 105) ...saepe saepius vidit et audivit praedictam  
10 s. Claram praedicentem de talibus personis venire debentibus ad monasterium predictum pro seminando venenum in dicto monasterio, sub specie sanctitatis, et tamen cum falsitate animi; et quae personae huiusmodi postea veniebant ad monasterium; et monebat dominas, antequam venirent, ut custodirent (se), ut non loquerentur  
15 eis sine presentia ipsius s. Clarae, timens de eis tamquam de grege suo. Dicebat item dicta s. Clara dictis sororibus eius quod dicti fraticelli<sup>2</sup> et falsi religiosi locuntur multum, primo subtiliter de spiritu, ut postea [f. 245v] levius veniant ad falsum eorum  
20 intentum. Interrogata si recordatur in specie de aliquibus personis huiusmodi venientibus, dixit non recordari singulariter, sed recordatur bene quod ipsa monebat eas ut caverent sibi a quibusdam fraticellis et a quibusdam fratribus ordinis Minorum, qui consueverunt ire circumquaque et habebant in se errorem spiritus libertatis..., ...ut plurimum haec monitio fuit tempore quo gentes  
25 multum se fustigabant, et primo et post...

[f. 253v] (art. 112) Interrogata quomodo scit, dixit et respondit se scire quia ipsa testis vidit et praesens fuit quando dicta

<sup>1</sup> Agitur de Flagellantibus seu Disciplinatis. italice *battuti*, quod hic vertitur fustigati, dum Salimbene, *Cronica*, ed. Holder-Egger, 465, eos verberatores vocat. Uti notum, motus hic popularis Perusiae a. 1260 incipit et diu perseveravit sed postea in confraternitatibus ordinatus est. Cf. G. M. Monti, *Le confraternite medievali dell'Alta e Media Italia*, Venezia (1927), I, 197-309. Ex antiquioribus auctoribus adduco opus anonymum: *Historia Flagellantium. De recto et perverso flagrorum usu apud Christianos*, Parisiis 1700.

<sup>2</sup> Hic non sunt intelligendi Fraticelli sensu tecnico sumpti seu ii qui bulla *Sancta Romana*, 30 dec. 1317 condemnati sunt, sed alii pseudo-religiosi, dubii status, non magis determinati, Spiritu libertatis imbuti.

s. Clara fuit locuta cum dicto fratre Bentevegna multum; [f. 254r] et inter alia verba, quae in principio fuerunt de Deo et de spiritalibus, ut dicit ipsa testis, quod postea audivit, dicta s. Clara, praedictus frater Bentevegna immiscuit quaedam, quae aperte sonabant et continebant errorem libertatis spiritus. Quod audiens  
 5 dicta s. Clara eidem fratri cum grandi<sup>1</sup> fervore respondit, ipsum reprehendendo de hoc errore et redarguendo multum, sicut ipsa testis vidit tunc ipsam Claram dicentem multum accenso animo  
 10 verba multa contra ipsum; non tamen sciret dicere sermones et verba omnia, sed de huiusmodi errore erat sermo, sicut audivit postea a sorore Clara. Et dixit [f. 254v] etiam se scire praedicta a dicta s. Clara, quae dixit sibi et aliis sororibus multa de hac materia; et finaliter detexit eundem fratrem et errorem suum apud multas personas.

15 Interrogata si audivit a dicta s. Clara quae verba audiverat a dicto fratre Bentevegna ipsa s. Clara, dixit quod audivit a dicta s. Clara quae referebat, praesente et vidente ipsa teste, cum multis lacrimis, quod dictus frater Bentevegna dixerat inter alia verba dictae s. Clarae: Non credis tu Clara quod possit hoc esse, quod  
 20 homo possit esse per totam noctem cum foemina, et cognoscere eam, et de mane Missam celebrare? Tunc [f. 255r] s. Clara respondit eidem fratri quod nullo modo credebat. Et super hoc habuerunt inter se multa verba et magnam contentionem.

25 Interrogata si dictus frater tunc fecit aliquam aliam quaestionem, respondit et dixit quod sic, videlicet: Quod credis tu placuisse plus Deo, an peccatum Magdalenae, an virginitas S. Agnetis? Et s. Clara respondit quod virginitas S. Agnetis placuit plus Deo, quia peccatum nunquam placet Deo; sed si poenitentia Magdalenae placuit Deo plus quam virginitas S. Agnetis, hoc  
 30 scio distinguere. Et dixit quod tunc vidit dictam s. Claram plan gere multum, compatiendo miseriae [f. 255v] et deceptioni ipsius fratris Bentevegnae et mandavit sororibus quod orarent pro eodem fratre ut extraheret eum de isto errore, quia si permaneret diu

<sup>1</sup> Cod. gladii, in marg.

in isto errore, multos subverteret propter loquelam suam pulchram et subtilem et adspetum spiritualem.

Item dixit ipsa testis quod audivit a s. Clara quod frater Joannuctius de Mevania, dictus Pulcinus, locutus fuerat sibi, et dixerat  
 5 ei verba, quia dicebat quod erat quaedam anima quae habebat tantam pacem in se quod de nullo turbabatur. Et s. Clara d'ixit ei: Si illa anima videret Deum offendere, numquid turbaretur? Et ipse frater respondit quod non. Propter quae verba credidit soror Clara et [f. 256r] suspicata fuit quod ille esset, de quo locutus  
 10 est ille frater praedictus et quod esset de illis qui haberent et sequerentur errorem libertatis spiritus: et quod ipsa reprehendit eum multum cum grandi<sup>1</sup> compassione. Et d'ixit quod rogavit sorores quod rogarent Deum pro eo, ut extraheretur de hac deceptione, et quod non haberent familiaritatem cum eo. Et haec  
 15 fuerunt in tempore in quo erat infirma de infirmitate de qua decessit<sup>2</sup>. Interrogata de praesentibus, dixit quod Joanna fuit praesens, quando dicta s. Clara retulit praedicta; sed quando frater Joannuctius locutus est ei, nullo modo fuit praesens, quia haec dixerunt quando fuit confessus<sup>3</sup> eam. Et credit pro [f. 256v] certo,  
 20 si fuisset evasa de infirmitate, fecisset in praedictis multa, tantum videbat eam accensam de praedictis.

Item dixit dicta testis reducta ad memoriam, quod ipsa s. Clara retulit sibi quod frater Bentevegna praedictus dixerat sibi quod  
 25 melior erat fides sua quam fides Clarae, quia si liceret praedicare et non timerem, ego totum mundum rectificarem. Et ipsa s. Clara respondit: Quare non praedicas? Et ipse dixit: Quia timeo. Et ipsa s. Clara respondit: Ego non timeo, nec timerem fidem meam praedicare per totum mundum, tantam fidem dedit mihi Deus; et ideo melior est fides mea quam tua. [f. 257r] Interrogata de  
 30 tempore, mense et die, quo praedicta fuerunt, dixit non recordari distincte, tamen credit quod fuerunt duo anni ante mortem s. Clarae et plus. Interrogata de praesentibus, dixit de Joanna, Marina, Illuminata et aliis pluribus sororibus monasterii. Interrogata ad

<sup>1</sup> Cod. gladii.

<sup>2</sup> Sancta Clara obiit 17 aug. 1308.

<sup>3</sup> Cod. confessa.

cuius invocationem dixit praedicta, respondit quod motu proprio propter magnum taedium quod habebat de praedictis, et compassione mota. Interrogata de loco, dixit in monasterio.

[f. 257v] (art. 113) ...dixit scire quia praesens fuit et vidit  
 5 quando s. Clara praecepit eisdem sororibus quod non loquerentur cum dicto fratre Bentevegna... Interrogata quibus verbis interpositis, respondit et dixit quod iis verbis: quod nunquam vellent tales homines loquerentur sororibus, quia tanta est subtilitas talium hominum quod vix esset anima aliqua, nisi in se haberet lumen [f. 258r] Dei, quod posset evadere ab ipsis erroribus.

(art. 114) ...Interrogata quomodo scit, dixit se scire quia praesens fuit et vidit quando s. Clara locuta fuit ipsi fratri Andreae<sup>1</sup> Inquisitori cum magno fervore et multum accense, dicendo ei:  
 15 Postquam tu es Inquisitor, quare tu non punis errores et patarias qui sunt infra vos<sup>2</sup>, et specialiter istum fratrem Bentevegnam? Et ipse frater Andreas dicebat: Quomodo possum facere? Ego non possum eum capere [f. 258v] in sermone, ita est cavillosus et non habeo testem contra eum. Interrogata de tempore, mense et die, dixit non recordari distincte, sed immediate ab inde  
 20 ad paucos dies post praedicta supra in dictis duobus articulis contenta...

Super CXV articulo qui incipit: Item [f. 259r] quod s. Clara procuravit etc., eo sibi per ordinem lecto et vulgarizato, interrogata respondit et dixit vera esse contenta in eo. Interrogata quomodo scit, respondit scire quia praesens fuit quando ipsa s. Clara dixit dicto Bernardo<sup>3</sup> cum multis lacrimis, dicendo sibi: Quomodo non facis cum Domino Napolione<sup>4</sup> Cardinali quod capiatur et puniatur ille frater Bentevegna, quod ille error destruat, quem ipse frater Bentevegna sequitur? Captivelle<sup>5</sup> Bernarde, para

<sup>1</sup> de Perusia.

<sup>2</sup> Hic S. Clara aperte dicit Spiritum Libertatis sparsum fuisse inter Fratres Minores Provinciae Umbriae.

<sup>3</sup> Bernardus de Pisauris, in codice mendose aliquando de Perusia dictus, laicus, qui filiam in monasterio s. Crucis habebat.

<sup>4</sup> Orsini, tunc Legatus Tusciae.

<sup>5</sup> Italice *catticello*.

te cum domino Napolione et cum domino Jacobo <sup>1</sup>, cum quibus-  
cumque tu potes, ne destruat<sup>r</sup> factum Christianitatis, quia iste  
frater faciet multa mala [f. 259v] nisi homo aperte se opponat,  
quia ista haeresis est ita maledicta, et ipse ita est subtilis, quod  
5 nisi sit anima quae habeat spiritum Dei, non poterit homo se cu-  
stodire a deceptione sua. Et tunc dictus Bernardus se obtulit et  
promisit se apponere cum domino Napolione et cum domino Ja-  
cobo, et nisi esset quod erat infirmus, promisit ire in persona. Et  
dixit ipsa testis quod postea audivit quod dictus frater Benteve-  
10 gna fuit captus cum multis sequacibus suis. Interrogata de tem-  
pore, mense et die, respondit et dixit quod haec fuerunt imme-  
diate post praedicta, de quibus supra fit mentio.

[f. 260r] (art. 116) ...Interrogata quomodo scit, dixit et respon-  
dit se scire, quia frequenter vidit ipsam s. Claram iratam de illo  
15 errore quem dicebat [f. 260v] dictus frater Bentevegna et cum  
magna indignatione loquebatur de errore ipsius fratris...

### 3. — SOROR JOHANNA ABBATISSA POST SANCTAM.

[f. 356v] (art. 88) ..dixit quod audivit dici a dicta s. Clara  
quod quidam religiosus, qui vocatur frater Joannuctius de Meva-  
20 nea diabolica [f. 357r] fraude, sub specie sanctitatis et (per) subti-  
les et occultas tentationes deceptus, quadam vice loquebatur dicte  
s. Clarae in infirmitate, de qua dicta s. Clara decessit; et, ut verba  
exterius sonabant, videbatur spiritualiter loqui et devote, et videba-

<sup>1</sup> Agitur de card. Iacobo Columna, tunc Romae ordinari<sup>e</sup> morante, qui  
S. Claram plurimum venerabatur. Iam ante depositionem Cardinalis a. 1297,  
hic relationem cum Sancta habuerat. Nam « Clara etiam Domini Iacobi de  
Columna depositionem predixit; ipsum enim in quadam revelatione pre-  
viderat per loca occulta et solitaria sine cappello rubeo quasi hominem  
proiugum incedentem » (*Vita Berengarii*, ed Faloci, 72s., ed. De Töth, 54).  
Card. Iacobus Sanctae misit eleemosynam per domnum Thomassum cano-  
nicum Eugubinum (Processo 2929, f. 61v; f. 207v s.). Ob Sanctae cum  
Columnensibus amicitiam notarius quidam Stephanus de Montefalco cum  
Bonifatio VIII denuntiare minatus est (cf. *Vita*, ed. Faloci 66<sup>3</sup>, 73<sup>1</sup>). Card.  
Iacobus Sanctae etiam Reliquias donavit (l. c.). Demum post mortem Card.  
Iacobus sanctae praecordia cum signis miraculosis Romam portari fecit ubi  
ipse et card. Napoleon Orsini ea admirati sunt (*Vita*, ed. Faloci, 131, ed.  
De Töth, 117), quod in fine a. 1308 vel initio 1309 accidit, cum eo tempore  
etiam card. Orsini Romae moraretur.

tur loqui profunde et subtiliter, sed finaliter omnia sua verba tendebant ad malum, et sapiebant errorem; et suspicabatur ipsa Clara quod sentiret dictus frater deceptionem illorum qui secuntur spiritum libertatis. Et incepit dicta soror Clara detegere eidem fratri

5 deceptiones et fraudes diabolicas, et cum multo fervore et devotione spiritus reprehendit et increpavit eundem fratrem de tanto et tali errore [f. 357v] et docuit ab huiusmodi deceptionibus diabolicis cavere. Dicebat enim idem frater inter alia sua verba quod ipse sciebat unum fratrem, sed non dicebat de se, qui per tempus

10 IIII annorum tantam habuit pacem secum vel intra se, quod nullam a Deo nec a mundo turbationem recepit per praefatum tempus. Cui dicta Clara respondit: Si ille videret offendi Deum, turbaretur? Et dictus frater respondit: non turbaretur. Et Clara respondit: Frater, ista non est pax, quam tu dicis pacem, immo

15 est mors, quia quando homo offendit Deum, et in ista offensione pacem habet, ista non est pax, immo est mors, quia sicut homo mortuus non [f. 358r] sentit, ita anima quae non sentit nec dolet in offensione Dei, est mortua. Et dixit eidem fratri sic dicenti dicta soror Clara: Vadas ad illum fratrem qui dicit se habere tan-

20 tam pacem, et des de lapide super caput suum, et tunc videbis si habet pacem. Et ipse frater dixit: scio quod non haberet pacem. Tunc soror Clara dixit: Captivelle, or non vides tu quod ista est mors, et non est pax, habere pacem in offensionibus Dei, et non habere pacem in offensionibus propriis? Ista non est pax, sed est

25 mors. Et per talia verba docuit illi fratri errorem suum cognoscere. Et ille frater tunc dixit sorori Clarae: Nunquam ego adverti [f. 358v] nisi modo, sed nunc video et cognosco.

Post haec una dierum, dum soror Clara esset in cella sua et oraret, daemon apparuit eidem Clarae iuxta ostium ubi erat cella

30 sua, et dixit daemon sorori Clarae haec vel similia verba: *Facta la m'hai*<sup>1</sup>, quia ego tibi talem telam ordiar quam tu senties et aliae personae tecum. Et per haec intellexit soror Clara quod daemon comminaretur et quia occultam<sup>2</sup> fratris diabolicam decep-

<sup>1</sup> Res narratur in *Vita*, ed. Faloci, 99; ed. De Tö:h, 83, ubi latine dicitur: « tu m'hi totum hoc fecisti ».

<sup>2</sup> Cod. *occultationem*.



ptionem detexerat et ostenderat opus esse diabolicum non divinum. Et haec omnia ipsa testis audivit dici a dicta sorore Clara in exemplum dictarum dominarum et earum aedificationem, ut scient sibi a talibus deceptionibus [f. 359r] praecavere. Interrogata  
 5 de tempore..., dixit se non recordari distincte nisi quod fuit circa obitum dictae s. Clarae ... Et dixit ipsa testis, quod ea praesente, quia habuit suspectum dictum fratrem pro praedictis, mandavit sororibus dicti monasterii quod de cetero vitarent conversationem eius in omnibus.

10 [f. 373v] (art. 105) ...dixit quod quadam die dicta Clara dixit sibi testi quod duo religiosi, sicut ipsa Clara viderat per revelationem divinam, veniebant ad monasterium; et unus erat lupo et unus erat porcus; et tenebant capita sua et mostacia<sup>1</sup> sua in  
 15 capitiis, et brancas<sup>2</sup> anteriores tenebant in manicis. Et dicta Clara nominavit illos duos religiosos [f. 374r] sororibus, mandans eis quod caverent sibi a conversatione eorum, quia ille porcus erat homo vitae inhonestae et habebat longam caudam et revolutam, quia erat homo qui tenebat odium; et ille lupo erat homo malitiosus et fallax, et ostendebat se illud quod non erat. Et dixit ipsa  
 20 testis quod paulo post illi duo fratres quos Clara nominaverat modo praedicto, venerunt ad monasterium sicut Clara praedixerat, simul, et fuerunt locuti dictae Clarae. Et Clara dixit uni eorum, scilicet illi lupo, quod nolebat quod ipsi haberent conversationem in dicto monasterio, et licentiavit ipsos a dicto monasterio. Et quia  
 25 illi fratres, et maxime ille lupo [f. 374v] multum instabat habere familiaritatem in ipso monasterio, si posset, sed ipsa Clara et sorores nunquam voluerunt familiaritatem eorum, nec ante monitionem Clarae nec post... Interrogata de nominibus dictorum religiosorum, respondit et dixit quod unus vocabatur frater Petrus et  
 30 alius frater Jacobus<sup>3</sup> de ordine Minorum de Montefalco.

[f. 381r] (art. 113) ...Interrogata quomodo scit, respondit et dixit quod pluries audivit dictam [f. 381v] sororem Claram ad-

<sup>1</sup> Italice *mostaccio* = barba labri superioris.

<sup>2</sup> Italice *branche* = armi.

<sup>3</sup> Id est Petrus Salamonis et Jacobus Capitonis; cf. supra, II, 1, p. 103.

monentem sorores et praecipientem eis ne haberent conversationem cum dicto fratre B(entivegna) vel aliis talibus hominibus, qui locuntur et contractant de libertate spiritus et de spiritu falso.

[f. 382r] (art. 114): Interrogata quomodo scit, dixit quia  
 5 audivit et praesens fuit quando dicta s. Clara denunciavit dicto fratri Andreae de Perusio tunc Inquisitori haereticae pravitatis, una die dicto fratre Andrea veniente ad cratem dicti monasterii, errorem istius fratris Bentevegnae, et tractavit cum dicto fratre (quod) Bentevegna puniretur de suo errore. Quibus omnibus dicta te-  
 10 stis praesens fuit et audivit. Interrogata quo tempore, mense et die, dixit se non recordari distincte. Dixit tamen quod fuit eodem anno quo dictus frater Bentevegna illa verba falsa et haeretica dixit dictae s. Clarae, sicut [f. 382r] in CXII articulo praecedenti continetur...

Interrogata quibus verbis interpositis praedicta dixit soror Clara,  
 15 respondit et dixit quod soror Clara interponebat haec verba apud dictum fratrem Andream Inquisitorem, videlicet: Ille frater Bentevegna qui talia verba seminat, deberet puniri, ne suus error procedat nec invalescat, et consimilia [f. 383r] verba, dixit ipsa testis, quod proferebat et dicebat ipsi Inquisitori ipsa s. Clara. Dixit etiam testis,  
 20 reddendo causam sui dicti, quod ipsa testis audivit a dicta sorore Clara quod ipsa procuravit punitionem et emendationem dicti fratris Bentevegna(e) cum pluribus aliis personis, de quarum omnium nominibus non recordatur, nisi de fratre Jacobo de Colfiorito<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Fr. Jacobus de Colfiorito in Processu et in Vita S. Clarae de Montefalco non semel nominatur. Erat capellanus in monasterio Collis floriti, ut refertur in Vita Berengarii, ed. Faloci, 73; ed. De Töth, 54. Tum Faloci tum De Töth de conventu Fratrum Minorum Brughiano prope pagum Colfiorito agi credunt. Sed inprimis monasterium de quo sermo est erat monialium, ut expresse dicitur in Processu nostrae S. Clarae: Arch. Vatic. Archivio dei Riti, Processo 2927, f. 102r: "Miraculum de Thomassa moniali monasterii de Colfiorito". Deinde L. Jacobelli, *Vite de' Santi e Beati dell'Umbria*, III, Foligno 1661, 316, monasterium de Colfiorito seu potius de Collefiorido (cf. ib. 543) idem esse dicit ac monasterium Clarissarum S. Mariae inter angulos, fundatum extra civitatem Spoletum (*Bull. Franc.*, I, 201; *Wadding*, II<sup>1</sup>, 719), deinde intra moenia translatum et de Palatio vel S. Gregorio piccolo vocatum. Piergili, *Vita della B. Chiara detta della Croce da Montefalco*, ed. 2, Foligno 1663, 157, dicit: "Nel monastero de Colfiorito, vicino a Spoleto, una divota monaca..." Capellani vero Clarissarum ordinare erant Fratres Minores, quare et Fr.

et de Bernardo de Pensauro<sup>1</sup>, cum quibus multa tractavit et dixit de hac materia in dicto monasterio ipso tempore.

Item interrogata super C(X)V articulo... [f. 383v]..., dixit scire, quia ipsa testis praesens fuit et audivit quando ipsa soror  
 5 Clara dixit Bernardo praedicto et ordinavit cum eo quod faceret et procuraret cum domino Napoleone Cardinale, qui tunc erat Legatus, quod dictus frater Bentevegna caperetur et puniretur et suus error destrueretur... [f. 384r] Interrogata de tempore..., dixit tamen quod ista fuerunt tractata et ordinata post pauca tempora postquam  
 10 dicta soror Clara locuta fuerat dicto fratri Andreae de correctione et emendatione dicti fratris Bentevegnae.

Interrogata quibus praesentibus, respondit et dixit quod videntur sibi quod soror Thomassa et soror Francisca filia dicti Bernardi, quae mortua est, fuerunt praesentes...

15 [f. 385r] (art. 116) ...Interrogata quomodo scit quod s. Clara erat ita accensa contra errorem praedictam et cum magno desiderio et fervore desiderabat defensionem catholicae Fidei, respondit et dixit quod videbatur sibi quod ipsa s. Clara esset accensa, ex efficacia et fervore verborum suorum et modo et signis lo-  
 20 quendi de dicta materia... Dixit quod audivit frequenter ab ipsa sorore Clara, quod ipsa desiderabat, si oporteret, mori et sustinere mortem pro defensione Fidei [f. 385v] catholicae.

Jacobus ad Ordinem Minorum pertinebat, qua de re Faloci, *Vita*, 73<sup>1</sup> expressum refert testimonium. In codice nostro f. 906r « fr. Iacobus de Colfiorito » inter sanctos viros qui e Spoletio S. Claram visitaverunt, ponitur. In eodem codice et Processu f. 671v legitur: « Item dixit (Soror Francisca filia magistri Gualterii de Montefalco) quod audivit a sorore Ioanna, nunc abbatissa, quod ipsa s. Clara praedixit captionem fratris Iacobi de Colle florito, qui captus fuit de mandato domini papae Bonifatii (VIII) », quod factum etiam a Berengario, *Vita*, ed. Faloci, 73; De Töth, 54, sed tacito papae Bonifatii nomine, refertur. Non longe a veritate erimus assumptes Fr. Iacobum Columnensibus, qui in dioecesi Spoletana castrum Melicis possidebant (cf. Huyskens, *Kardinal Napoleon Orsini*, 46s.) favisse et ideo Bonifatio VIII fuisse invisum. Revera Berengarius l. c. visionem de captione Fr. Iacobi statim post visionem de depositione Card. Jacobi de Columna refert.

<sup>1</sup> Lege *Pisauro*.

4. — FRATER FRANCISCUS QUONDAM DAMIANI DE MONTEFALCO,  
FRATER GERMANUS S. CLARAE.

[f. 508r]: Super articulo CXII ...dixit se hoc scire, videlicet  
quod soror Clara cum esset veritatis intelligentia (et)<sup>1</sup> prophético  
5 spiritu illustrata, dixit sibi testi quod quadam vice ipsa sentiebat  
unam personam venientem ad monasterium et ad loquendum sibi,  
de qua sibi timor magnus immittebatur. Et dum veniret quidam  
religiosus [f. 508v] frater Bentevenga de Eugubio, qui propter  
sanctitatem quam ostendebat Apostolus vocabatur, immediate quod  
10 venit ad cratem misit pro Clara, et ipsa petens quia esset, audiendo  
quod esset ille, timuit, et sensit quod iste erat de cuius adventu  
timorem recipiebat. Et veniendo ad eum laudavit Deum suum  
more solito dicendo: laudato Deo. Et ille dixit: Clara, quomodo  
stas? et ipsa dixit: Ex parte Dei sum bene, sed ex parte mea  
15 sum plena peccatis, Et ipse respondens dixit: Cogitas quod anima  
possit peccare et quod homo vel foemina quaecumque possit facere  
aliquod peccatum? Et quod loquendo innuebat<sup>2</sup> quod [f. 509r]  
homo et foemina peccare non possent quocumque modo vel pec-  
cati genere. Et ipsa respondens cum quodam impetu et fervore  
20 magno a loquendi efficacia virtuosa dixit: O miserime, o cece, o  
totaliter obtenebrate, o pessime hominum et quorumcumque pes-  
simorum peccatorum! Si totus mundus clamasset, non credidissem  
quod tanta iniquitas posset in homine reperiri. O infinita miseri-  
cordia et divina pietas, quomodo tam horribilia, tam confusibilia et  
25 tam foedissima Deo et omnibus creaturis substines? Omnes crea-  
turae de mundo deberent facere de hoc vindictam. Quomodo non  
confundaris? quo modo non verecundaris, pessime hominum, [f.  
509v] qui decipis Deum et omnes creaturas, totus hypocritatus  
falsus, totus erroneus, qui exterius virtuosus appares, et interius  
30 dolo et rapina et peccatis et brutalitate foetidissima taliter es ple-  
nus? Non credebam quod omnes doemones de inferno docere sci-  
rent doctrinam tantae iniquitatis, tantae malignitatis et tanti erro-

<sup>1</sup> Ita cod.

<sup>2</sup> Cod. *innuebat*.

nis et tante perversitatis, scilicet quod facientes peccata pessima  
 et foetidissima, quae se ipsa omnibus manifestant, peccare non  
 crederent, immo ex peccatis se meliores et beatiores reputarent,  
 sicut facis, erronea plenus perversitate et inaudita iniquitate. O  
 5 Deus meus, cum magna effusione lacrimarum dicebat [f. 510r]  
 et cum amaritudine et mentis afflictione clamabat: quomodo tan-  
 tus error, tanta tenebra, tanta ostentatio peccatorum potuit cadere  
 in animam cuiuscumque maximi peccatoris? Magnum periculum  
 est et magna pericula peccatorum sunt et animarum, quando Crea-  
 10 torem suum mortaliter offendunt et quando mandata sui transgre-  
 diuntur et voluntati divinae resistunt, quia propter peccata ani-  
 mae separantur a Deo et a gratia et virtutibus eius, et conjunguntur  
 daemonibus, quia illius servae ipsae animae efficiuntur, cui ser-  
 vire noscuntur; tamen his quantumcumque peccatoribus et contra  
 15 suum Deum peccantibus, compatiendum est, quia communiter  
 peccatores et viles (se)<sup>1</sup> reputant, ut in pluribus [f. 510v] et com-  
 muniter de peccatis dolorem et poenitudinem quamvis non per-  
 fectam habere videntur, in peccatis etiam existendo. Sed tu, o  
 tenebrate et erroribus plene, non tantum peccatoribus sed quasi  
 20 peior es daemonibus, cum sis in peccatis totaliter obstinatus; quae  
 obstinatio non credebam quod in vita ista posset in aliquo homi-  
 num reperiri. Sed malitia et perversitas et maligna iniquitas ani-  
 mae tuae erratae et inauditis erroribus involutae, non tantum pec-  
 catores transcendunt, quantumcumque pessimos, sed etiam dae-  
 25 mones, ut praedixi, et vix quod daemones de inferno scirent cum  
 tanta malignitate, cum tanta peccandi subtilitate virus peccati ani-  
 mabus infundere et malignae perversitatis, sicut [f. 511r] tu lupus  
 et animarum raptor, qui cum continua malitia et iniquitate erro-  
 nea virus iniquitatis et errores pessimos tuae animae inauditos in  
 30 alios conaris effundere in tuae animae et illorum damnationem  
 aeternam.

Et ipse frater Bentevegna his auditis ridebat fortissime et  
 deridebat omnia quae ipsa Clara dicebat, et eam stultam et sem-  
 plicissimam reputabat, reputans eam omnino et totaliter ignoran-

<sup>1</sup> Ita cod.

tem, cum non contingeret statum illum quem ipse habebat et supremum super omnes alios status reputabat, quod quis sine remorsu et sine dolore et sine poenitudine peccare posset, immo secundum [f. 511v] statum illum ille est melior et excellentior, et  
 5 quasi beator reputatur, quando in peccatis quaecumque faciat, in nullo remorsum habeat. Et dicunt illi qui secundum illius spiritum operantur, quod creatura nihil agit nisi in quantum agere fecit eam Deus, ut si sit in oratione, totum est a Deo, et si sit in fornicatione vel quacumque pessima operatione, totum est a Deo,  
 10 et propter hoc remorsum habere non debet. Quod dictum est deceptio pessima super omnes deceptiones, et est peccatum diabolicum et pessimum et error horribilis super omnes alios errores. Et contra ipsum fratrem Bentevegnam propter praedictum peccatum quod videbatur asserere [f. 512r] et cum magna adhaesione te-  
 15 nere, adhuc et alia multa dixit, ipsum et peccatum praedictum in omnibus et per omnia confundendo.

Post haec dicto testi eunti ad loquendum dictae Clarae, quae praedicta sunt cum quodam fervore et cordis dolore et magna afflictione et cum quadam virtutis efficacia plus solito, quantumcum-  
 20 que semper virtuose et efficaciter loqueretur, dixit dicta Clara: Ego volo tibi narrare maximum periculum et errorem pessimum et inauditum, quem nunquam credidissem quod posset in creatura aliqua reperiri, videlicet de illo pessimo homine et filio diaboli, in peccato et in errore pessimo obstinato, quod in ipso quantum-  
 25 cumque sit periculum inauditum excedit, [f. 512v] cum homo virtutis et sanctitatis ab hominibus reputetur, ex quo levius et magis potest in alios suae iniquitatis et malignitatis venena effundere. Ipse enim, sicut scitis, in vita et sanctitate super alios quoscumque vel quantumcumque bonos excellentior et sanctior repu-  
 30 tatur, cum sit filius diaboli et vas plenum omni dolo et nequitia et malitia et inaudita perversitate. Venit enim ad loquendum, et sicut persenseram<sup>1</sup> ita vidi, quia per aliquos dies ante videram, quod quaedam persona venerat, de cuius adventu timorem concipiebam, ut super est expressum. Et veniens ipso homo diaboli

<sup>1</sup> Melius forsā praesenseram.

et membrum ipsius et vas omnis iniquitatis et immunditiae et brutalitatis, dixit mihi dicenti quod ex parte mea ego eram mala et plena [f. 513r] peccatis, et ipse dixit mihi quod homo nec mulier peccare poterat, immo unusquisque in tantum est peccator quantum peccare credit. Quare rogo te ex parte Dei toto corde et tota anima et totis viribus, ut si de coetero toto tempore vitae tuae extendisti vires et tuae animae et corporis operationes, modo nitaris et coneris magis et amplius extendere, ita quod praedictus homo tantae iniquitatis et tanti erroris inauditi et tanti periculi, capiat 5  
 10 tur et in sua malitia et nequitia pessima confundatur, ut non possit alios inficere et informare et inclinare ad suam voluntatem et malignitatem pessimam praedicto peccato et nequissimo omnium peccatorum. Et sicut de coetero [f. 513v] aliquid cum subtilitate et virtute et efficacia aliquid cogitasti, vel aliquid imaginatus fuisti, 15  
 modo imagineris et cogiter quomodo et per quam viam possit homo tantae iniquitatis melius et citius comprehendere et confundi, ut alii propter ipsum in tanto peccato non confundantur. Facias enim omnino quod frater Andreas se Perusio Inquisitor mihi loquatur, et dicas sibi ex parte mea, quod quaedam ardua, multum 20  
 mala et multum periculosa habeo sibi dicere, et sine retardatione omnino veniat, auditurus; et si secus faceret, sibi et suo officio posset esse periculum valde magnum.

Et eo dicto et mandato ipsius Clarae cum tanto fervore, cum tanta efficacia et cum tanta virtute plus [f. 514r] solito loquentis 25  
 et colloquentis, immo cum lacrimis et amaritudine et cordis dolore immenso, obediens ivit dictus testis ad fratrem Andream de Perusio Inquisitorem et de periculo et peccato pessimo supradicto fuit locutus, et dixit sibi, sicut Clara dixerat, quod illud peccatum erat pessimum et nefandum omnibus peccatis et quod erat periculosius non tantum ratione generis inauditi sed etiam ratione illius maledicti hominis, qui exterius ab omnibus sanctus reputabatur, et interius erat lupus et animarum raptor et deceptor pessimus animarum. Et dixit sibi quod omnino ad dictam Claram iret; et ipse ivit. A qua Clara cum fervore, virtute et verborum efficacia [f. 514v] inaudita audivit et intellexit ea quae sunt superius 35  
 per ordinem explicata. Dixit enim sibi quod in tanto periculo non

dormiret, sed cum mora et retardatione postposita, et omni alio negotio praetermisso, omnino studeret cum omni sollicitudine et diligentia illum maledictum hominem et erratum, immo in errore  
 5 dere, cum ipse intendat et studeat aliorum animas confundere et damnare.

Sicut haec audivit <sup>1</sup> a dicta Clara et etiam audivit a sororibus monasterii pluries quod ipsa locuta est, et procuravit per omnem modum et viam quomodo istum hominem posset facere com-  
 10 prehendi, et omnino in tanta [f. 515r] obstinatione confundi. Et audivit ab eisdem sororibus quod dixit nobili viro Bernardo de Pisauris <sup>2</sup>, qui habebat suam filiam in ipso monasterio, quod omnia supradicta nefanda et pessima domino Napoleoni Cardinali  
 - per ordinem enarraret, ad <sup>3</sup> hoc ut ipse Cardinalis cum esset Lega-  
 15 tus Tusciae, praedictum hominem comprehenderet et damnaret et confunderet, sicut confusione inexplicabili erat dignus. Quod et factum est, sicut ipsa sancte et virtuose et gratiose in omnibus ordinavit. Quia praedictus dominus Cardinalis praedictum hominem fecit capi et comprehendi, sicut erat dignus. Et ipse do-  
 20 minus Cardinalis, sicut relatam sibi testi fuit per Blaxium de Spoleto, qui sibi locutus fuerat sicut homo fidelis et bonus et fidei con-[f. 515v]stantiam et bonitatem diligens, audivit quod superius enarrata obbrobriosa, vituperosa in facie dixerat praedicto  
 25 fratri Bentevegnae, homini nequitiae et malitiae et totalis perversitatis, ipsa Clara plena virtute et gratia fidem Christi defendens cum virtute et constantia, ut superius est expressum. Propter quod dictus Cardinalis, quamvis Claram cum magna devotione diligeret, ex hoc ipsam maxime praedilexit et ipsam ex hoc  
 30 laudavit et commendavit, et dixit quod recta, vera erant, maxima et mirabilia quae de ipsa audiverat, sicut ista et alia sua opera virtuosa ipsam sanctam et virtuosam in omnibus manifestant. Et audivit ipse testis a dicta Clara quod tota [f. 516r] amore

<sup>1</sup> Idest testis.

<sup>2</sup> Cod. *Perusia*.

<sup>3</sup> Cod. *ut*.



et fervore accensa et lumine virtutis illustrata, quod pro fidei de-  
 fensione millies exponeret semetipsam ad mortem, et si toto tem-  
 pore vitae suae aliquid audivit quod fidem destrueret et gratiam  
 et virtutem et bonos mores, erat error pessimus illius hominis su-  
 5 pradicti, et ideo si aliter non posset, libenter morti succumberet  
 et mortem vellet, ad hoc ut ille penitus et omnino consumaretur  
 et confunderetur.

5. — FR. THOMAS BONI DE FULGINEO O. F. M.

[f. 877v] In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo  
 10 CCCXVIII, die XXII Iunii, Ego frater Thomas Boni de Fulgineo,  
 de ordine Minorum, imprimis dico <sup>1</sup> quod frater Joannes Pulcinus  
 de Mevania, de ordine Minorum, qui fuerat et erat tunc Cappel-  
 lanus monasterii in quo dicta Clara mansit et obiit, quando signa  
 cordis dictae Clarae ostendebantur populo, visus fuit contradicere,  
 15 dicendo quod [f. 878r] non deberet adorari nisi crux Christi, et  
 hoc audiui a pluribus fratribus de ordine Minorum, maxime a  
 fratre Masseo de Fulgineo, qui tunc erat praesens, et modo est  
 guardianus Fulginei <sup>2</sup>. Unde habeo violentam suspicionem quod,  
 sicut dicitur, illa signa cordis eius fuerunt facta artificiose ab una  
 20 sorore de Fulgineo, quae reclusa morabatur in monasterio nomi-  
 nato, quae cum manibus suis subtiliter operabatur, quae fuit mor-  
 tua modico tempore interiecto.

Item dico quod habuit duos Cappellanos, unum qui fuit mor-  
 tuus in carcere propter haeresim, scilicet frater Jacobus de Coco-  
 25 rano <sup>3</sup> ordinis Minorum, alium qui vivit in carcere, et dicebatur  
 esse malae [f. 878v] famae, nomine frater Paulus de Burgo. Et  
 dicitur quod dicta Clara habuit familiaritatem cum uno, qui modo  
 propter haeresim in carcere detinetur, fratre B(entivenga) ... [f.  
 879r] ...Interrogatus si scit quod soror Clara sciret praedictos fra-

<sup>1</sup> Haec prima pars testimonii Fr. Thomae Boni insignia Passionis Christi in corde S. Clarae post mortem inventa respicit, de quibus cf. *Vita*, ed. Faloci, 112ss., ed. De Töth, 98ss.

<sup>2</sup> Cf. Piergüii, *Vita*, 128.

<sup>3</sup> Cod. *Cotozano*, loco *Cocorano* = Monsfalcus. Agitur de Fr. Iacobo Capitonis de Montefalco, discipulo Bentivengae saepius nominato.

tres Jacobum de Cocorano, Paulum de Burgo et Bentevengam  
 fuisse malae famae vel infectos aliquo vitio haeresis, dixit quod  
 nescit. Item si tempore quo dicta soror Clara habuit conversatio-  
 nem cum eisdem fratribus, erant infames de dicto vitio in ordine,  
 5 vel si erat notum apud fratres et apud dictum testem de vitio  
 eorum, respondit quod non. Interrogatus si credit quod dicta so-  
 ror [f. 879v] Clara sciret praedictos fratres infectos aliquo vitio  
 haeretico, respondit quod nescit...

10 Item interrogatus dictus frater Thomas [f. 880r] Boni de  
 Fulgineo per dictos dominos delegatos seu inquisitores, si scit ali-  
 quid aliud de vita vel conversatione dictae sororis Clarae, respon-  
 dit et dixit quod ipse stetit Cappellanus ipsius monasterii S. Cru-  
 cis ad officium divinum dicendum...<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Authenticatio depositionis Fr. Thomae Boni facta est Perusiae 1 sept.  
 1319. Inter testes adest etiam Fr. Franciscus de Tuderto, Minister Pro-  
 vincialis Umbriae. Cf. codicem nostrum, Processo 2929, f. 882v.

Ex testimonio Fr. Thomae Boni clare apparet animus eius in S. Claram  
 hostilis.

III.

EX RELATIONE CARDINALIUM CIRCA PROCESSUM CANONIZATIONIS S. CLARAE DE MONTEFALCO, INTER ANNOS 1328-1331 ABSOLUTA

- 5 (*Spoletana Canonizationis B. Clarae a Cruce de Monte Falco Monialis Ordinis Eremitarum S. Augustini. Positio super miraculis. S. l. a. et n. t., sed Romae 1881*)

[p. 121] De zelo ipsius Clarae ad Fidem Catholicam <sup>1</sup>.

Ad Fidem Catholicam zelum et amorem maximum habuit, et  
10 dolebat plurimum quando persona aliqua ab unitate fidei deviat. Disputavit multum contra quemdam haereticum tunc occultum, qui tunc reputatus Sanctus Homo, Apostolus vocabatur, sed Clara pro veritate fidei illius obiectionibus respondendo, convicit eum de haeresi de secta Spiritus Libertatis. Cum venisset enim  
15 dictus haereticus ad Monasterium, quasi de Spiritualibus et divinis loqui incipiens, errores interseruit, inter alia dicens, animam libertatem habere, quod potest facere quidquid vult, nec peccatum nec aliquid excludendo. Clara autem peccatum excipiebat, dicens: quod potest facere quidquid vult, faciendo quod Deus vult,  
20 et non aliter, nam si anima faceret peccatum, quod Deus non vult, hoc non esset libertas sed servitus, et efficeretur subiecta Diabo-[p. 122]li, et ancilla.

Verum quia dictus haereticus tunc reputabatur Sanctus Homo, Clara ei humiliter et cum reverentia loquebatur. Et in nocte sequenti Clara, sicut postmodum retulit, orans Deum, ut ei veritatem ostenderet, an ille esset, sicut ipsa suspicabatur, deceptus, vidit

<sup>1</sup> In antiqua versione italica *Relationis*, Venetiis 1515 (cf. supra, pars I, p. 18). tract. I. c. 29. f. 19v-21r.

Clara Deum quasi se ostendentem iratum, eam certificantem illum esse deceptum, et deviare a veritate. Et in mane séquenti cum dictus haereticus rediisset ad Claram, et de eadem materia loquerentur, Clara veritatem, quam antea cum humilitate et reverentia  
 5 dixerat, modo fortiter et cum magna constantia defendebat, illius perfidiam increpando. Et dictus haereticus Claram, quia eius sermonibus et erroribus non consentiebat, iratus petiit ab ea dicens: Clara dic, Praesbiter habens de nocte mulierem carnaliter, potest mane sequenti celebrare Missam licite sine peccato? Clara cum magna indignatione horrendo praedicta, et cum fervore dixit, quod  
 10 non. Haereticus ille dixit, posset Deus hoc facere; Clara respondit, Deus non est aucter peccati; Et tunc ille quasi eam despiceret, et grossam, seu gressi spiritus reputaret, subridens interrogavit eam dicens: permittit hoc Deus? Clara respondit: permittit. Haereticus dixit: nihil fit nisi Deo permittente, quia secundum scripturas etiam frons Arboris non cadit in terram, nisi permissione Dei: Si Deus permittit, bonum est, quia nunquam Deus, qui bonus est, permetteret nisi bonum. Et Clara respondit quod illud quod  
 15 Deus ibi fecit est bonum, scilicet ipsa permissio, quia nobilitas virtutis magis apparet, propter vilitatem vitii, sed illud quod homo ibi facit, scilicet peccatum, est malum.

Petiit tunc idem haereticus a Clara dicens: quid placuit plus Deo? Virginitas Agnetis, an peccatum Magdalenae? Clara respondit: scio quod virginitas Sanctae Agnetis placuit Deo, sed peccatum  
 25 Magdalenae nunquam placuit Deo tamen potest esse, quod postea tanta poenitentia, et tantus amor Dei, et alia bona sequuta fuerunt in Magdalena, quod ista bona plus placuerunt Deo, quam Virginitas Sanctae Agnetis, non ipsum peccatum, quia illud Deo displicuit. Et tunc ille haereticus allegavit multas, ut dicebat, auctoritates scripturae, et Sanctorum, et Clara dixit: Ego non didici scripturas, et ea quae dico, [p. 123] non dico per scripturas, sed quia mihi Deus haec revelavit, et scio quod Deus non decipit me, et non credo quod scriptura et Sancti dicant, sicut tu dicis, sed scio quod tu non intelligis, et scio quod illud quod ego dico, probaretur per scripturas, quia dico verum et bene, et si Sancti dicerent quod tu dicis, non essent Sancti, et ego errori tuo non cre-

derem; neque credo, a tali Magistro sum docta, imo si omnes mundi homines dicerent et crederent quod tu dicis, ego sola non recederem ab ista veritate, quam dixi. Et modo video quam pridie habui visionem. Videbam enim quemdam de isto tuo spiritu caecum utroque oculo, venientem ad me. Haereticus ille dixit: verum est istud, quod ipse caecus est ab intellectu tuo, scilicet quod tu non intelligis hunc spiritum. Clara dixit, tu reputas me grossam, et quod ego non intelligam iustum tuum spiritum; sed scias quod ego bene intelligo, et video, quod tu es erratus, et separatus a Domino Deo. Et caepit Clara plorare fortiter ex compassione, quam habebat ad eum et dixit: doleo multum de dolore, et labore, quos sustinuit Dominus pro te, et addebat eum reprehendendo dicens: o miser, quid est factum de tanta poenitentia quam fecisti, quoniam perdidisti gratias, et ea quae in te Deus extitit operatus, et ille ridebat, et Clara plorabat. Et tunc ille haereticus dixit Clarae: rogo Deum, quod det tibi illum spiritum quem ego habeo. Clara dixit: et ego rogo Deum quod antea permittat omnes tribulationes quae sunt vel esse possunt in corpore meo, quam hoc permittat, et certa sum, quod nunquam Deus hoc permittet in me.

Post haec haereticus ille dixit: Si ego possem praedicare, totum mundum rectificarem. Clara dixit, quare ergo non praedicas? et ille respondit: quia timeo. Clara dixit: ergo spiritus meus est melior tuo, et Dominus quem ego diligo, est melior Domino tuo, quia ego non timeo etiamsi deberem ex hoc mori, non dimitterem dicere hanc veritatem, quia quanto quis appropinquat Domino Deo meo, tanto est securior et poenas corporis non timet. Deinde haereticus a crate recedens ivit, et appodiavit se super altare, et deinde ad cratem rediens dixit: Dominus dixit mihi, quod non est Daemon nisi ipse, quia Daemon est sapientia, et Deus est sapien-[p. 124]tia, unde Deus est Daemon. Clara respondit cum fervore dicens: Deus est summa sapientia. Daemon est summa malitia. Recedente vero haeretico, Clara aliquibus, quae secum erant Sororibus, dixit: ego non dixi me meliorem illo propter me, nec quod in me sentiam aliquam bonitatem, sed tantum prop-

ter honorem Dei, et contra errorem illius. Et postmodum referendo quandoque Sororibus aliqua de praedictis, dolebat, et quandoque plorabat ex compassione perditionis ipsius, et timens ne personas aliquas secum traheret in errorem. Et licet Deum pro eo  
 5 ne periret, oraverit, et fecerit per Sorores orari, ut ei daret lumen veritatis, et eum liberaret ab errore praedicto, praecepit tamen Sororibus ne loquerentur, aut conversarentur cum eo, et procuravit sollicite tunc cum Inquisitore loci, et cum personis aliis, ut etiam procurarent cum Cardinale in illis partibus Sedis Apostolicae tunc  
 10 legato <sup>1</sup>, dictum haereticum capi, puniri, et a suo errore corrigi, et quod destrueretur totaliter error ille, contra quem multum accensa, desiderabat defensionem Veritatis catholicae Fidei, et se pro ea, si oporteret, mortem sive martyrium sustinere; et die quadam, cum de errore illius haeretici loqueretur, inter alia cum magno  
 15 spiritus fervore dixit, se tantum lumen Fidei et Veritatis recepisse a Deo, quod si omnes libri de mundo fuissent combusti, et omnis doctrina et praedicatio cessasset, ipsa posset docere, et omnes qui irent per viam quam ipsa doceret, essent in via salutis. Haereticus autem praedictus incarceratus est, et sicut meruerat, con-  
 20 demnatus.

[p. 158] De personis quarum conversatio posset esse periculosa Sororibus <sup>2</sup>.

Personas etiam, quarum conversatio periculosa posset esse Sororibus praedicebat adventus, ut se melius custodirent. Duos Vi-  
 25 ros quos Sororibus nominavit, unum in lupi, alium in porci speciebus, capita per caputia, et branchias anteriores per manicas educentes praevидit, et praedixit Clara [p. 159] simul venientes ad Monasterium: Lupus ibat raspando per ostium, mentes scilicet personarum, et erat malitiosus et fallax, praetendens se esse quod  
 30 non erat; porcus vero lutuosus et brutus, caudam habens etiam revolutam propter odium, quod in corde tenebat. Et ecce paulo post venerunt illi duo ad Monasterium, volentes, si potuissent, Sororum familiaritates acquirere, quod nullo modo Clara permisit, eis

<sup>1</sup> Id est card. Napoleo Orsini.

<sup>2</sup> In antiqua versione italica, Venetiis 1515, tract. III, c. 8, f. 51r-52r.

5 inhibens ne redirent, et Sororibus ne eos admitterent ad collo-  
 quium vel familiaritatem quamcumque. Quemdam de Spoletio  
 Sanctum hominem reputatum Clara praedixit venturum ad Mona-  
 10 sterium cum cane subtus, hoc est cum deceptione et fraude, man-  
 dans tamen Sororibus ut sibi caverent ab eo, et quomodo loque-  
 rentur; et die per Claram praetaxata venit ille vir, et uni ex So-  
 15 roribus quasi per spiritualia verba loquens, ipsam tamen ad suam  
 familiaritatem, si potuisset inducere conabatur. Alium praevidit  
 Clara, quasi utroque oculo excaecatum venire ad Monasterium,  
 20 in cuius adventu, timor incutiebatur eidem, et post quando dispu-  
 tavit contra quemdam, quem convicit de haeresi, et secta de spi-  
 ritu libertatis, dixit et cognovit, cum esse illum taliter excaeca-  
 tum. Alia vice vidit obscuritatem et nebulas nocte obscuriores,  
 25 ventum validum cum maxima tempestate, inter quae fluvius tur-  
 bidus rapacissimus impetuose currebat, quasi, ut manu ostendebat,  
 per partes Tusciae, et inde fluens per Ducatum, qui suo discursu  
 habebat vicina viridaria consita arboribus pulcherrimis, poma qua-  
 rum magna, et adspectu multum delectabilia, dum erant in ipsis  
 30 arboribus, videbantur, turbine et tempestate praedictis excussa ca-  
 dendo in fluvium, pandebantur nihil intra se habere, nisi putre-  
 dinem et abominabilem faeditatem, et Clara intelligens visionem  
 hujusmodi denotare spiritus falsos, et fictos multorum, qui exte-  
 rius in vestimentis ovium incedentes, intrinsecus sunt ut lupi de  
 35 maledicto spiritu libertatis quem Clara dicebat spiritum pessimae  
 servitutis.

[p. 161] De revelationibus et visionibus Daemonum et de fraudibus et malitiis eorum<sup>1</sup>.

30 [p. 163] ...Intra quamdam obscuritatem maximam Clara vidit  
 unum quasi in specie Crucifixi, a quo calor magnus egrediens.  
 multas personas Religiosas et Regulares illi astantes ad carnis vitia  
 incendebat, Clara autem hoc abhorrens, Crucifixum illum agnovit  
 esse daemonem, qui gentes illas decipiebat sub specie sanctitatis,  
 et referens Sororibus visionem dixit: vos videbitis quod de is'is,

<sup>1</sup> In versione italica, Venetiis 1515, tract. III, c. 10, f. 53v.

qui spirituales se reputant <sup>1</sup>, multum malum exhibit; et post tempus aliquod fuit detecta in partibus illis secta haeresis de spiritu libertatis.

Anno quo Clara de vita praesenti transivit, quadam nocte  
 5 venit quidam magnus Diabolus, ducens secum plures alios daemones se minores, qui circuens omnia ostia Monasterii introire conabatur: sed non poterat, et iens et rediens, fecit similia pluries illa nocte; tandem adivit ad cellae Clarae ostium, quod ad claustrum respicit dicens ei: tu fecisti mihi istud, quod non possum  
 10 introire; sed ego ordiar tibi talem telam, quod habebis satisfacere tu, et qui pro te erunt; et tunc abscedens diabolus ivit, ipsa Clara vidente, ad quoddam aliud Monasterium, ubi multa fuerunt postmodum contra Claram tunc viventem, et post ejus obitum, et contra ejus Monasterium machinata.

15 Cum quemdam fratrem <sup>2</sup> ab ejus errore occulto et diabolico, in quo quatuor annis steterat, Clara ei errorem detegens correxisset, daemon juxta ostium cellae Clarae oranti apparens, fuit propter hoc ei fortiter comminatus <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Verba haec non aliter sunt intelligenda quam in sensu a fraticello Paulo Zoppo usurpata. et a L. Fumi male intellecta. Cf. supra, p. 36.

<sup>2</sup> Agitur de Fr. Iohannutio de Mevania. Cf. supra, p. 100ss. et 109s. testimonia explicita.

<sup>3</sup> Cf. supra, p. 110.



IV.

ARNALDI DE VILLANOVA TESTIMONIA DE SPIRITU  
LIBERTATIS (1308-1309).

1. — Interpretación hecha por Arnaldo de Vilanova de los  
5 Sueños de D. Jaime de Aragón y de D. Fadrique de Sicilia (1308).

(M. Menéndez y Pelayo, *Historia de los heterodoxos españoles*, segunda edición refundida. Edición ordenada y anotada por Don Adolfo Bonilla y San Martín, III, Madrid 1917, p. XLIX-LXXIV).

10 [p. LXIII] Rursum<sup>1</sup> dicebatur quod eorum [falsorum Religio-  
sorum] apostasia proruperat in tam libidinosam insaniam quod in  
aliquibus provinciis multi ex eis doctmatizabant spiritum libertatis  
in collegiis utriusque sexus et eorum lectores alicubi asserebant  
quod in naturali commercio carnis nunquam peccatum commite-  
15 batur nec in tactibus impudicis.

2. — Razonamiento hecho por Arnaldo de Vilanova en Aviñón  
ante el Papa y Cardenales. (Rahonament fet per mestre Arnau de  
Vilanova en Avinyo devant lo Papa e Cardenals de les visions del  
Reys Jaume Darago et Frederich Rey de Sicilia son frare) (1309).

20 (Menéndez y Pelayo, *Historia de los heterodoxos españoles*,  
ed. cit. III, Madrid 1917, p. XCII-CXV).

<sup>1</sup> Textus habetur etiam apud J. Pou y Martí, O. F. M., *Visionarios, Beguinos y Fraticelos Catalanes*, Vich 1930, 75s.

[p. CVIII] Encara <sup>1</sup> es manifest laltre damunt dit, ço es que caen [Religiosi mendicantes degeneres] en error deretgia en ço car sembren de feyt et de paraula ço qui es contra levangeli. Mas pus manifest es per ço que ara ses descubert en la provincia de  
 5 Toscana, la qual cosa no pot hom palliar ni escondir, car II cardenals caberen en la inquisicio et foren trobats mes de CCXL qui entre si ab les fembres de lur estament et daltres preychaven que ara es temps en que deu regnar esperit de libertat; ço es de fer tot ço quell cor desiyara, car tot sera plaer de Deus, axi que si  
 10 yo vuyll ociure lo Papa ol Rey o aontar sa muyller et sa fiylla, de tot fare plaer a Deus, et daquestes crides ni avia alguns qui eren entre ells grans et notables lectors <sup>2</sup>. La qual error es de mayor eretgia que esser pusca, car no tan solament negue la veri:at catolicha, mas encara mes rao natural et tot be dumanitat, en la qual  
 15 error cert es que no foren cayguts si no fos la amor dels delits corporals et dels plaers daquest segle. Per la qual amor caen en altre veri deretgia, ço et per seguir et impugnar la veritat evangelical, e aço ses manifestat en aquest temp en IIII maneres... (*Sequitur narratio quomodo Communitas Ordinis Minorum Spirituales persecuta est*).  
 20

<sup>1</sup> Pou y Marti, l. c. 70s.

<sup>2</sup> Ex testimoniis supra relatis non apparet inter assecelas Spiritus libertatis fuisse Lectores famosos, sed tantum duos praedicatores. Arnaldi de Vilanova. in utroque textu allato de Lectoribus loquentis, fontes ignoramus. quare nec plenam fidem hac in re ei possumus praestare.

V.

QUAESTIONES DE SPIRITU LIBERTATIS IN MAGNA  
DISCEPTATIONE INTER SPIRITUALES ET COMMUNITA-  
TEM ORDINIS MINORUM IN CURIA PAPALI A. 1309-1312  
5 HABITA.

1. — *Responsio Spiritualium ad quaestionem de relatione cum  
secta Spiritus libertatis (c. finem a. 1309).*

(Ehrle, *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte*, III, Ber-  
lin 1887, 142 (in sequentibus citabitur ALKG)).

10 Ad primum articulum, de quo requirit sanctitas vestra, vide-  
licet de illo nephandissimo errore spiritus libertatis, respondemus,  
quod nullum penitus scimus. Sed supplicamus, quod contra ipsos,  
ubicunque sint, tota virtute procedatur ad eorum exterminationem.  
Et nos parati sumus secundum nostram infirmitatem nos ad hoc  
15 totis viribus exhibere sicut contra hereticos detestabiles et hor-  
rendos.

2. — *Communitatis responsio ad praedicta (c. medium a. 1311).*  
(ALKG III, 144s.).

Omisso igitur primo articulo, super quo nulla prorsus est que-  
20 stio inter partes, cum Ordo seu prelati Ordinis, iam est dudum,  
contra aliquos fratres numero VII, qui in provintia beati Francisci  
verba spectantia ad dictum errorem dixisse dicuntur, per penam  
perpetui carceris cum tanta austeritate processit, sicut procedi po-  
tuit, non obstante quod ipsi fratres sponte redierint ad veritatis  
25 agnitionem et prorsus omnem errorem huiusmodi abiuraverint.  
Et super predictis domini pape ministerio ad inquirendum de

novo et separatim [?] fixe [sic] <sup>1</sup>, quod invenient, ex parte Ordinis et ministri generalis legitime in predictis processum et de contingentibus et fatiendis nichil omissum.

3. — *Ubertinus de Casali ad praedictam Communitatis declarationem respondet (c. mensem augustum a. 1311).*

(ALKG III, 163).

Item de primo articulo spiritus libertatis, qui est periculosior omnibus, et de quo sic videntur responsione sua in securo transire, per omnia falsa dicunt. Nam nunquam per fratrem Raymundum  
 10 et socios responsum est <sup>2</sup>, quod de hoc non esset questio, sed potius responderunt, quod ipsi nesciebant aliquos; sed ego sciebam et responderam domino nostro plenarie veritatem. Et credentes, quod esset necessarium, supplicabant domino nostro, quod tota  
 15 virtute contra eos procederetur, sicut patet in responsione tunc data; et in rotulo nunc dato magistris <sup>3</sup> valde male recessum [receptum?] est per illos, qui Ordinem regunt. Et quia coperiri videtur error in infectis, et erroris exterminatores, viri fideles, gravati sunt et infamati <sup>4</sup>; et quasi videtur quicquid factum est post  
 20 sitionem principalium per me factam, dare obstaculum, ne possit per nuntios domini pape illius erroris diffusio inveniri, sicut in rotulo probabiliter declaratur.

4. — *Ubertinus de Casali in tractatu Rotulus iste vocato Communitatem in reprimenda secta Spiritus libertatis negligentiae accusat (prioribus mensibus a. 1311).*

25

(ALKG III, 123).

Patet etiam hoc [i. e. partialitas in puniendo] per contrarium in illis vilissimis hereticis, qui reperti sunt in provincia sancti

<sup>1</sup> Textus hic apparet corruptus. Respicitur bulla Clementis V 1 aprilis 1311 (cf. infra n. VII), qua Raynerio episcopo Cremonensi inquisitio in sectam Spiritus libertatis committitur.

<sup>2</sup> Agitur de responso Raymundi Gaufredi et aliorum Spiritualium Provinciae dato; cf. supra, V, 1, p. 129.

<sup>3</sup> Vide infra, n. 4.

<sup>4</sup> Idest ipse Fr. Ubertinus.

Francisci, circa quorum correctionem ministri et prelati alii<sup>1</sup> fuerunt per multa tempora negligentes, et ei<sup>2</sup>, qui cum multo labore et periculo prudenter eos deprehendit et punivit, tales referunt grates, ut vos ipsi domini experimini, quia tales sibi persecutiones excitant et ipsum infamare impie non verentur.

5 5. — *Raymundus Fronsiacus, Ordinis Procurator, Communitatem a nota negligentiae in punienda secta Spiritus libertatis defendit, et accusationem partialitatis in Fr. Ubertinum retorquet (c. menses martium-aprilem a. 1312).*

10 (ALKG III, 124).

Quod Frater Ubertinus dicit se oppressum, quia haeresim extirpavit, non est ita, sed de consilio fratris Raymundi Gaufredi et fratris Bartholomei Sycardi et sociorum eorum fuit lata sententia contra eundem fratrem Ubertinum, quod esset detinendus propter carnis immunditiam. Apparuit etiam contra eum de voto (?) heresis illorum, contra quos inquirebat, quorum aliquos sibi non ignotos socios suos sectarios excusabat et defendebat et dicebat sanctos viros, cum tamen longis temporibus ipsius fuissent familiares et qui per inquisitores subsequentes<sup>3</sup> in dicto crimine culpabiles sunt inventi. Aliquos etiam, qui per ipsum ut fictum et simulatum detestabantur in predicta inquisitione dampnavit [?], quos modo relevavit ut innocentes dominus Cremonensis<sup>4</sup>.

20 Quod autem dicit prelatos Ordinis fuisse negligentes de persecutione erroris in Valle Spoleti, respondetur, quod per processus  
25' potest ostendi diligentia prelatorum Ordinis fuisse sufficiens et quod fervido zelo prosecuti sunt dictam pestem, quam cito eis innotuit.

<sup>1</sup> Forsitan Inquisitores Umbriae qui erant Fratres Minores.

<sup>2</sup> Idest Ubertinus.

<sup>3</sup> Idest FF. Grimaldus de Prato et Guido de Tuschis a Ministro Generali Gundisalvo Hispano Visitatores in Umbriam missi.

<sup>4</sup> Raynerius; cf. infra n. VII et VIII.

VI.

ALVARI PELAGII TESTIMONIUM DE SPIRITU LIBERTATIS  
ET DE BENTIVENGA DE EUGUBIO HAERESIARCHA (1332)

(Alvarus Pelagius, *De planctu ecclesiae*, II, 52, ed. Venetiis 1560,

5 f. 114 va-b).

...quia, sicut experti sumus his temporibus, finis talis spiritus  
libertatis qui hodie currit, caro est et non spiritus. Tempore meo  
in Provincia beati Francisci [f. 114vb] multi seculares et fratres  
Minores pro isto carnali spiritu libertatis per inquisitores heretice  
10 pravitatis incarcerati fuerunt, inter quos fuit quidam frater noster,  
qui propter perfectionem quam ostentabat, Apostolus dicebatur,  
qui ibi caput fuit istius erroris<sup>1</sup>. Qui cum essem novitius<sup>2</sup> et con-  
sulerem eum, credens eum virum perfectum, super quadam mea  
tribulatione, subridens dixit mihi quod ipse tribulari non poterat;  
15 quod verbum non intelligens, ipsum mirabilem hominem reputavi,  
sed quum captus esset pro isto spiritu libertatis, intellexi verbum  
suum occultum, quod ideo non poterat tribulari, quia faciebat quic-  
quid sibi caro et sensualitas suggererat servus carnis libera iusti-  
tia. Iste in carcere fratrum mortuus fuit Florentie, si vere peni-  
20 tens nescio. Tales valde spirituales videbantur<sup>3</sup> in lucis angelum  
transformati.

<sup>1</sup> Id est Bentivenga ab Eugubio.

<sup>2</sup> In Provincia S. Francisci a. 1304-05.

<sup>3</sup> Cf. supra. p. 126, nota 1.

## VII.

BULLA CLEMENTIS V QUA RAYNERIUS EPISCOPUS CRE-  
MONENSIS UT INQUISITOR CONTRA SPIRITUM LIBER-  
TATIS IN VALLEM SPOLETANAM MITTITUR

5

*Avenione 1 aprilis 1311.*

(Reg. Vatic. 58 (de Curia), epist. 37, f. 280v-282r).

*[rubr.]* Venerabili fratri Raynerio Episcopo Cremonen.

Dilectus Domini et pacificus Salomon post diversa, que edidit  
 10 opera, Spiritu sancto inspirante, locutus ad extremum, iam consuma-  
 tum virum et calcato seculo preparatum, in *Cantico canticorum*  
 sponse iunxit amplexibus et inspectivum locum in libello predicto  
 tradidit, in quo amorem celestium divinatorumque desiderium inducit  
 anime sub specie ac mistico nomine sponsi et sponse, docens cari-  
 tatis fervore ad Dei consortium perveniri. Licet enim cetera can-  
 15 tica, que *lex et prophete*<sup>1</sup> diversimode cecinerunt, esse videantur  
 parvule adhuc sponse et que non dum sit vestibula mature et  
 virilis etatis ingressa, hoc tamen *Canticum canticorum* adulte iam  
 sponse et valde robuste, et que iam capax sit virilis potentie per-  
 20 fectique misterii decantatur<sup>2</sup> adeo, ut perfecta et una columba<sup>3</sup>  
 perfecti et unius viri sponsi perfecte inscipiat verba doctrine. Hec  
 igitur sponsa, *vinea Domini Sabaot*<sup>4</sup> quam ipse verus paterfami-  
 lias *sepavit* virtutibus et lapides heresum ac spinas et vepres vi-

<sup>1</sup> Matth. 7, 12.<sup>2</sup> Cod. *decantantur*.<sup>3</sup> Corr. ex *columpna*.<sup>4</sup> Cf. Is. 5, 7.

tiorum *elegit ex illa, et plantavit electam, in medio eius edificans turrem muniminis virtutum atque donorum et torcular in ipsa estruens*<sup>1</sup>, discretionem dotando et muniendo contra vitia et peccata. *vineam, imquam, Domini Sabaoth, iuxta Ezachielis*<sup>2</sup> vaticinium  
 5 *plantata in sa(n)guine super aquas multas, in sanguine, imquam, veri et immaculati agni, cuius fructus et frondes creverunt ex aquis multis gentium diversarum, et facte sunt ei virge solide in sceptris dominantium, et exaltata est statura eius inter frondes et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum, et umbra*<sup>3</sup> eius montes operuit et arbusta eius cedros Dei, extendens  
 10 *palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines suas; diversis patuit et patet insidiis ab exordio Abel iusti*<sup>4</sup>; sed in novissimis heu temporibus destruere nituntur maceriam eius<sup>5</sup> et vindemiare eam omnes, qui pretergradiuntur viam, viam, imquam,  
 15 *catholice fidei et semitam mandatorum Dei. Exterminare autem eam nititur aper de silva, diversa genera vitiorum inmicrens, et conatur depascere singularis ferus per infectiones et inmissiones heresum diversarum; propter quod clamare compellimur cum propheta David. Dixit enim in suis verbis idem filius Ysay, saltes egregius domus Israel, per quem locutus est spiritus Domini et per linguam suam sermo eius*<sup>6</sup>: *Convertere, Domine Deus Israel, convertere et respice de celo et vide et visita vineam istam et perfice eam, quam plantavit dextera tua.* In supradicto autem Cantico canticorum, de quo in principio non incompetens sermo occurrit, contra demolitores huius vinee Spiritus sanctus exclamat<sup>7</sup>: *Capite nobis vulpes parvulas, que domoliuntur vineas. Nam vinea nostra floruit.* Harum vinearum custodem, vinearum, imquam, universarum per orbem catholicarum ecclesiarum, que omnes thalamus unus Christi sunt, ex quibus ecclesia una ex gentibus con-

<sup>1</sup> Ita cod.; cf. Is. 5, 2.

<sup>2</sup> Ita cod. cf. Ez. 19, 10s.

<sup>3</sup> Cf. Ps. 79, 11s.

<sup>4</sup> Matth. 23, 35.

<sup>5</sup> Cf. Ps. 79, 13s.

<sup>6</sup> Ps. 79, 15s.

<sup>7</sup> Cant. 2, 15.



gregatur, nos, licet immeritum, divina dispensatio statuit et pre-  
 fecit. Absit autem a nobis, et repetendum iterum, absit, ut pos-  
 simus dicere, seu nobis competat verbum illud predicti *Cantici*  
 5 *canticorum*<sup>1</sup>; *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non*  
*custodivi*. Custodienda est igitur a nobis toto conamine *vitis vera*<sup>2</sup>,  
 immo custodiendi sunt *palmities* in vera vite sistentes<sup>3</sup>, ne con-  
 vertantur in amaritudinem vitis aliene<sup>4</sup>, et ex *vinea Sodomorum*  
 fiant vites eorum et *palmities* eorum ex Gomorra et botrus ama-  
 ritudinis in ipsis et venenum *draconum vinum eorum* et furor  
 10 *aspidium insanabilis*<sup>5</sup>. Veri igitur custodis optamus et cupimus non  
 perfuntorie<sup>6</sup> officium gerere vinearum, virtutum et dogmatum sci-  
 licet divinorum, ex quibus per fideles *vinum* (h)auriri possit et  
 bibi, quod *cor hominis letificet*<sup>7</sup>, et *vinea nostra* que *floruit*<sup>8</sup>, de  
 15 virtute reflorat in virtutem. Capi igitur eas precipit sermo divi-  
 nus, saluti et utilitati consulens animarum, capi, inquam, et  
 comprehendi, dum adhuc pusille sunt, ut obstetur errorum prin-  
 cipiis<sup>9</sup> et cum deceptores quasi vulpes ceperint ecclesiam incur-  
 sare, pastorum et custodum dextris auxiliis sublevetur et diligenti  
 20 provideatur remedio, ne disperat mons Syon et *vulpes* ambulent  
*in eodem*<sup>10</sup>, *vulpes*, inquam, fallaces perversique doctores, quos ve-  
 lud alter Sanson verus<sup>11</sup> *sol iustitie*<sup>12</sup> Christus Deus noster per mi-  
 nisterium verorum fideliumque doctorum verbo veritatis caudam  
 ad caudam colligat et adversantes sibi et diversa invicem sentien-  
 tes docentesque confutet, ad que ex ipsorum verbis propositiones  
 25 collectionesque accipiens, in *Philistinorum segetes* ignem mictant

<sup>1</sup> L. c. 1, 5.

<sup>2</sup> Ioan. 15, 1.

<sup>3</sup> Cf. l. c. 15, 5.

<sup>4</sup> Cf. Jerem. 2, 21.

<sup>5</sup> Cf. Deut. 32, 325.

<sup>6</sup> Ed. *presumptorie*.

<sup>7</sup> Ps. 103, 16.

<sup>8</sup> Cant. 2, 15.

<sup>9</sup> Haec recolunt versus Ovidii: Principiis obsta etc.

<sup>10</sup> Cf. Thren. 5, 18.

<sup>11</sup> Ed. *falso verum*.

<sup>12</sup> Mal. 4, 2.

consumptivum falsitatis et elucidativum<sup>1</sup> catholice veritatis, ita ut ex eorum propriis argumentis omnes ipsorum amaros fructus dolosisque vineas ac venenosa oliveta pessime generationis [f. 281r] incendat<sup>2</sup>. Sicque congrue precipitur et mandatur in *Canticorum canticis*<sup>3</sup> antedictis a sponso suis sobdalibus et ministris, ut capiant et arguant hereses, que insidiantur vinee Domini, ne exterminent inicia fidei floremque virtutum sub specie alicuius secretae et occulte scientie, quoniam potius fallacie, que ex Deo non est; que quidem hereses, quasi vulpes in foveis, ita in hiis omnibus, qui semetipsos ad hec sectanda prebuerunt, delitescunt, et quo facilius<sup>4</sup> confutari possint et argui, dum sunt parvule capi iubentur; nam fortasse si creverint et fuerint maiores effecte, multiplicabuntur et serpent ut cancer et iam ab amicis et ministris sponsi capi forte nequibunt, sed ab ipso solo sponso, *apud quem non est impossibile omne verbum*<sup>5</sup>.

Nuper siquidem, sicut dolenter audivimus, et grandi mentis punctura referimus, in nonnullis Ytalie partibus tam Spoletane provincie, quam etiam aliarum circumaacentium regionum nonnulli ecclesiastici et mundani religiosi et seculares utriusque sexus viri pestiferi, qui alienati ab utero matris ecclesie, ac preclare fidei, fundate *super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Ihesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*<sup>6</sup>, qui est salus<sup>7</sup>, *vita et resurrectio*<sup>8</sup> nostra, molientes, heu! obnubilare niterem, novam sectam novumque ritum, a via salutis omnino degenerem, etiam ipsis paganis et animaliter omnino viventibus odiosum, et ab apostolica et prophetica doctrina et evangelica veritate remotum, quem libertatis spiritum nominant, hoc est, ut quicquid eis libet, liceat, assumpserunt: ut qui quandoque per fidem *sanctorum*

<sup>1</sup> Cod. et Ed. *elucidantium*.

<sup>2</sup> Cf. Iudic. 15, 45.

<sup>3</sup> Cf. Cant. 2, 15.

<sup>4</sup> Cod. et Ed. *fallacius*.

<sup>5</sup> Cf. Luc. 1, 37.

<sup>6</sup> Eph. 2, 20s.

<sup>7</sup> Ed. O. S. B. *falso solus*.

<sup>8</sup> Ioan. 11, 25.

cives fuerant et domestici Dei, fiant nunc hospites et advene-  
 abiecti de domo Domini suis culpīs et perniciosis erroribus et doc-  
 trinis: set, ut et ipsi dumtaxat pereant, non contenti, nisi ceci  
 cecorum ductores penarum socios habeant eternarum, simul caden-  
 5 tes in foveas<sup>2</sup>, simplices animas astute decipiunt, et eas in huius-  
 modi pestis mortifere professionem adducunt.

Nos autem more patris benivoli, quem non pretereunt inco-  
 moda filiorum, ut reducamus abiecta<sup>3</sup>, revocemus errata, vinum-  
 que infundamus et oleum vulneribus sauciati<sup>4</sup>, quod infirmum  
 10 est, solidantes, et quod egrotum sanantes, et quod confractum est  
 alligantes, et quod perierat requirentes<sup>5</sup>, nostre considerationis con-  
 vertentes intuitum, solliciti reddimur, non immerito anxii scriptu-  
 rarum sacrarum archana scrutantes, quoniam cum nos simus, in  
 quos fines seculorum iuxta apostolum devenerunt<sup>6</sup>, sicut idem  
 15 vas electionis<sup>7</sup> et doctor gentium<sup>8</sup>, qui in celis didicit, que pre-  
 dicaturus erat in terris, annuntiat loquens ad Timotheum, et sta-  
 tum novissimorum temporum aperte describens<sup>9</sup>: Scito, inquit,  
 quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt  
 20 homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, paren-  
 tibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace,  
 criminales, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores,  
 protervi, tumidi<sup>10</sup>, ceci, voluptatum amatores magis quam Dei; ha-  
 bentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.  
 Et post pauca subiungit: Quemadmodum Joannes<sup>11</sup> et Mambres,  
 25 magi utique et aurioli Faraonis sub servitute<sup>12</sup> egiptiaca populum  
 Domini opprimētis, et figurantis ferocem illum leonem gentium,

<sup>1</sup> Eph. 2, 19.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 15, 14.

<sup>3</sup> Cf. Ezech. 34, 15.

<sup>4</sup> Cf. Luc. 10, 34.

<sup>5</sup> Cf. Ezech. 34, 15.

<sup>6</sup> I Cor. 10, 11.

<sup>7</sup> Act. 9, 15.

<sup>8</sup> I Tim. 2, 7.

<sup>9</sup> 2 Tim. 3, 1-8.

<sup>10</sup> Cod. timidi.

<sup>11</sup> Cod. Iannes.

<sup>12</sup> Cod. virtute.

et draconem maris<sup>1</sup>, leonem rugientem<sup>2</sup>, adversarium humani generis, sub servitute tenentem dampnationis eterne ex prothoplausti peccato genus humanum, *resisterunt Moysi*; in quo et per quem *lex Domini immaculata convertens animas*<sup>3</sup> mystice designatur, ita et hii resistunt *veritati*<sup>4</sup>, *homines corrupti mente, et reprobii circa fidem, sed ultra non proficient*<sup>5</sup>.

Magis igitur et magis timendum nobis est et populo Domini, cuius nobis est cura commissa, et nobis in ipso, ne tam abominabilis Deo et hominibus pestis, que latenter videtur subripere, nimis periculose succrescat. Timendum utique ac toto animo formidandum, quoniam sicut princeps Apostolorum Petrus in canonica sua scribit<sup>6</sup>: *Quasi liberi et non quasi velamen habentes malitie libertatem, sed sicut servi Dei. Et idem*<sup>7</sup>: *Novit Dominus pios de temptatione eripere; iniquos vero in diem iudicii cruciandos servare; magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditie ambulant, dominationemque contempnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt facere blasphemantes. Statimque*<sup>8</sup> *subiungit*<sup>9</sup>: *Hii vero velud irrationabilia pecora, naturaliter in corruptionem et in pernicionem in hiiis, que ignorant blasphemantes, in sua corruptione peribunt, percipientes mercedem iniustitie, voluptatem existimantes diei*<sup>10</sup> *delitias, coinquinationis et macule deliciis affluentes, in conviviiis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii et incessabili delicto: pellicientes*<sup>11</sup> *animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii: derelinquentes rectam viam erraverunt. Expressiusque talium hereticorum iniquorum reatum, et execrabilis pestis huiusmodi aperte*

<sup>1</sup> Cod. et Ed. O. S. B. *maris*; cf. Ezech. 32, 2.

<sup>2</sup> Cf. 1 Pet. 5, 8.

<sup>3</sup> Ps. 18, 7.

<sup>4</sup> Cod. et Ed. O. S. B. *mercati*

<sup>5</sup> 2 Tim. 3, 8s.

<sup>6</sup> 1 Pet. 2, 16.

<sup>7</sup> 2 Pet. 2, 9s.

<sup>8</sup> Cod. *statumque*.

<sup>9</sup> 2 Pet. 2, 12-15.

<sup>10</sup> Cod. *dei*.

<sup>11</sup> Cod. *pollicentes*.

subiungit <sup>1</sup>: *Superba vanitatis* <sup>2</sup> loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxurie eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur; libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis; a quo enim quisque superatur, huius et servus est.

5 O libertas omni ditior <sup>3</sup> servitute! O libertas nec nominanda libertas vero, utique illa summa libertas, in qua eius servitus comprobatur, cui *servire regnare est* <sup>4</sup>. Cur non attenditur, cur non pensatur, cur non discutitur, quod Apostolus de hac exclamat, ad Galathas dicens <sup>5</sup>: *Utinam abscindantur qui nos conturbant. Vos enim in libertate vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in*  
 10 *occasionem carnis detis. E vestigioque subiungit: Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus adversus carnem: hec enim sibi invicem adversantur, ut non quecumque vultis, illa faciatis. Nonne tuba*  
 15 *evangelica, filius tonitru* <sup>6</sup>, qui fluentia evangelii elevatus ut aquila grandis alarum magnarum, plena plumis et varietate <sup>7</sup>, de ipso sacri dominici pectoris fonte potavit <sup>8</sup>, de huiusmodi apponatur <sup>9</sup> erroribus futuris, proth dolor! tanquam de iam factis, in canonica sua loquitur manifeste, dicens <sup>10</sup>: *Qui habet spem in Deo, sanctificet se, sicut ipse sanctus est; omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit; peccatum enim est iniquitas. Scitis autem quod Deus*  
 20 *apparuit, ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis igitur qui in eo manet, non peccat: et omnis qui peccat, non videt eum nec cognoscit eum. Qui facit iustitiam, iustus est, qui facit*  
 25 *peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Apparuit autem in hoc Filius Dei, ut opera diaboli dissolvat.*

Nonne hunc ipsum spernendum errorem et abominandum, immo vesaniam Judas frater Jacobi in sua canonica expressa desi-

<sup>1</sup> 2 Pet. 2, 18s.

<sup>2</sup> Cod. *superbia vanitas*.

<sup>3</sup> Ita cod., Ed. Raynaldi *durior*.

<sup>4</sup> Oratio ecclesiae.

<sup>5</sup> Gal. 5, 12s; 16s.

<sup>6</sup> Cf. Marc. 3, 17.

<sup>7</sup> Cf. Ezech. 17, 3.

<sup>8</sup> Cf. Ioan. 13, 25; 21, 20.

<sup>9</sup> Ita cod.; Ed. Raynaldi *apud nos*.

<sup>10</sup> 1 Ioan. 3, 3-8.

gnat, ponens more prophetico futura tanquam preterita. dicens <sup>1</sup>:  
*Subintroierunt homines impii, qui olim prescripti sunt in hoc iudi-*  
*cium, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. Statimque*  
 5 *subiungit* <sup>2</sup>: *Sicut Sodoma et Gomorra, finitime civitates simili*  
*modo exfornicate et abeuntes post carnem alteram facte sunt*  
*exemplum, ignis eterni penam sustinentes. Similiter isti, qui car-*  
*nem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem bla-*  
*sphemant. Et infra* <sup>3</sup>: *Ve illis, qui in via Chaym abierunt, errore*  
 10 *Balaam effusi sunt, contradictione Chore perierunt. Hii sunt, qui*  
*in epulis suis maculant se, convivantes sine timore, semetipsos*  
*pascentes, nubes sine aqua, que circumferuntur a ventis; arbores*  
*autumnales infructuose, bis mortue, eradicatae, sidera errantia, qui-*  
*bus procella tenebrarum reservatur.*

Cur igitur contristant Spiritum sanctum Domini <sup>4</sup>? Cur bla-  
 15 *sphemant per tam horrendas insanias? Cur dissimulant quod scrip-*  
*tum est* <sup>5</sup>: *qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remictetur*  
*ei neque in hoc seculo, neque in futuro? Cum Job ipse testetur* <sup>6</sup>:  
*Vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo perisse, et spiritu*  
 20 *ire sue esse consumptos. Cur carnis illecebras sub spiritus regimine*  
*palliant, quas constat in eodem spiritu condemnari? Cum enim*  
*Apostolus fornicatorem Corinthum excommunicandum scriberet,*  
*ait* <sup>7</sup>: *Ego quidem absens corpore, presens autem spiritu, iam iu-*  
*dicavi ut presens eum, qui sic operatus est. In nomine Domini*  
 25 *nostri Ihesu Christi congregatis vobis cum meo spiritu et cum vir-*  
*tute Domini nostri Ihesu Christi tradere huiusmodi sathane in*  
*interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.*

Non est igitur a Spiritu Domini talis libertas: nam incoinquina-  
 natus spiritus Domini et *suavis, humanus, benignus* <sup>8</sup>, amans bo-  
 num, et qui nihil benefacere vetat. In spiritu enim Domini pec-

<sup>1</sup> Iud. 4.

<sup>2</sup> L. c. 75.

<sup>3</sup> L. c. 11-13.

<sup>4</sup> Cf. Ephes. 4. 30.

<sup>5</sup> Matth. 12. 32: cf. Luc. 12. 10.

<sup>6</sup> Iob 4. 85.

<sup>7</sup> 1 Cor. 5. 3-5.

<sup>8</sup> Cf. Sap. 7. 225.

catum dimittitur, non peccatur. Set talis libertas est a spiritu tene-  
 brarum, a spiritu malo, qui vexabat Saul, spiritu immundo, qui  
 egrediens ab homine impellit eum assumere septem alios spiritus  
 nequiores se<sup>1</sup>; colubro tortuoso<sup>2</sup>, qui et tortuose incedit, et tor-  
 5 tuose suadet incedere suos; spiritu, cuius invidia mors introiit  
 in orbem terrarum<sup>3</sup>; spiritu diaboli, qui nunc ut aspis, nunc ut  
 basiliscus venena diffundit, ut leo devorat<sup>4</sup>, insidiatur ut draco;  
 spiritu, imquam, illius, qui proiectus est draco magnus et serpens  
 antiquus, qui vocatur diabolus et sathanas, qui seducit orbem suis  
 10 seductionibus universum<sup>5</sup>; spiritu, imquam, illius, qui persecutus  
 est mulierem, Dei ecclesiam, que peperit masculum<sup>6</sup> operis vir-  
 tuosi, post quam mulierem ex ore suo aquam magnam tamquam flu-  
 men imittit, ut a flumine attrahatur<sup>7</sup>, spiritu erreris, cui divino  
 iudicio acquiescere permittuntur, qui non crediderunt spiritui ve-  
 15 ritatis. Hic est ille spiritus, qui libertatem male agendi suis satel-  
 litibus et sequacibus repromittit; sed devictus est et vincetur in  
 sanguine agni, quia vicit leo de tribu Juda<sup>8</sup> aperire librum, et sol-  
 vere signacula eius<sup>9</sup>, de quo triumpho tres pueri, tres ordines in  
 20 unitate fidelium denotantes, benedicunt et laudant et superexal-  
 tant ipsum in secula<sup>10</sup>, quia eripuit nos ab inferis suo sa(n)guine  
 redimendo, et salvos fecit de umbra mortis et liberat nos (de me-  
 di)o ardentis flamme<sup>11</sup> devorantium heresum et de medio ignis  
 vitiorum corrumpentium eripuit nos<sup>12</sup>.

Ex predictis igitur, nec immerito, sollicitamur ex intimis solli-  
 25 citudine indefessa, quod pestis huiusmodi de Dei ecclesia penitus  
 absci(n)datur et pereat, exterminetur radicitus, nec nominetur in

<sup>1</sup> Cf. Luc. 11, 24, 26.

<sup>2</sup> Cf. Iob 26, 13.

<sup>3</sup> Cf. Sap. 2, 24.

<sup>4</sup> Cf. 1 Pet. 5, 8.

<sup>5</sup> Apoc. 12, 9.

<sup>6</sup> L. c. 12, 13.

<sup>7</sup> Cf. I. c. 12, 15.

<sup>8</sup> L. c. 5, 5.

<sup>9</sup> L. c. 12, 11.

<sup>10</sup> Cf. Dan. 3, 51s.

<sup>11</sup> Cod. flamme.

<sup>12</sup> Cf. Dan. 3, 88.

populo christiano. Te igitur, de cuius prudentia et circumspectione  
 confidimus, *ut evellas et destruas, et edifies et plantes*<sup>1</sup>, ac omnia  
 facias, que ad eradicationem erroris huiusmodi, et ad edificationem  
 salutifere fidei expedire putaveris, ad partes illas decrevimus desti-  
 5 nandum. Quocirca fraternitatem tuam obsecramus in Filio Dei Pa-  
 tris, et nichilominus tibi per apostolica scripta mandamus, in re-  
 missionem peccaminum iniungentes, quatenus ad predictas partes  
 in Dei nomine proficiscens, auctoritate nostra suffultus nec di-  
 10 gnitati, nec statui, nec religioni, nec sexui, nec etati deferens plus-  
 quam Deo, de premissis inquiras cum summa diligentia verita-  
 tem. Et si quos, cuiuscunque dignitatis, ordinis, religionis, condi-  
 tionis, aut status extiterint, huius erroris labe respersos inveneris,  
 iuxta datam tibi a Domino gratiam, ut ad cor reddeant, oculos ipso-  
 rum aperias, et, ne in umbra ambulent, increpando corrigas et  
 15 corrigendo reducas; et abiurata prorsus haeresi ab eisdem, et im-  
 posita ipsis salutari penitentia iuxta morem reconciliatis ecclesie,  
 secundum formam eiusdem beneficium absolutionis impendas.  
 Quod si eos, quod absit, vel eorum aliquos peccatorum moles pre-  
 ponderans in laqueum desperationis adduxerit, nec proficere te  
 20 senseris apud eos, tunc fretus Christi potentia velud ad commune  
 restringendum incendium te accingas et contra eos et ipsorum  
 quemlibet sub modis et forma, iustitia mediante, procedas, quibus  
 procedi in casibus huiusmodi consuevit. Non obstantibus quibus-  
 vis privilegiis, indulgentiis et litteris, personis vel ordinibus ipsis,  
 25 aut ipsorum aliquibus sub quacunque forma aut expressione ver-  
 borum ab apostolica Sede concessis, que cuiuscunque tenoris exi-  
 stant, quomodolibet contra tenorem presentium cuiquam volumus  
 suffragari; invocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii secularis;  
 contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione [f. 282r]  
 30 postposita, compescendo. Ceterum ad prosequendum viriliter cau-  
 sam Dei ad sui laudem nominis et exaltationem catholice fidei  
 sic te gere(re) studeas in premissis, quod in futuro dignam tibi  
 preparaes pro labore mercedem, et nostram et apostolice Sedis  
 benedictionem et gratiam uberius mer(e)aris.

35 Datum Avinion. kl. aprilis anno sexto.

<sup>1</sup> Jerem. 1, 10.



## VIII.

PROCESSUS IN FRANCISCUM DE BURGO S. SEPULCRI,  
 PROPHETAM DICTUM, A RAYNERIO EPISCOPO CREMO-  
 NENSI INQUISITORE INSTITUTUS — Assisii, in sacro Con-  
 5 ventu, 29 oct. 1311.

(Perusiae. Bibliotheca communalis, Pergamene di S. Francesco al  
 Prato, mazzo 50).

In nomine Domini Amen. Cum discreti et religiosi viri fratres  
 10 Grimaldus Januensis Minister et Guido de Tuschis de Bononia  
 visitarent in Provincia beati Francisci, auctoritate eorum Genera-  
 lis Ministri<sup>1</sup>, fratrem Franciscum de Burgo Sancti Sepulcri, qui  
 dicitur propheta, quem asseruerunt esse suspectum et infamatum  
 15 labe erroris qui dicitur spiritus libertatis, mandaverunt ut suspec-  
 tum et infamatum artari et detineri artatum; postmodum predic-  
 tam sententiam in aliquo mitigarunt. Quorum visitorum senten-  
 20 tiam et processum nos Raynerius Dei gratia Cremonensis episco-  
 pus, inquisitor a sede apostolica deputatus super articulo heresis  
 qui dicitur spiritus libertatis in provincia Spoletana et circumadia-  
 centibus regionibus, examinavimus diligenter; et inspectis et pen-  
 25 satis dictis testimonium<sup>2</sup> ac confessione ipsius fratris Francisci, quibus  
 idem a dictis visitoribus asserebatur ut suspectus convinci, per  
 ea que vidimus et cognovimus, reperimus ipsum acrius discipli-  
 natum quam requireret culpa in eo reperta, maxime quia quedam  
 que dixerat ad detegendum infectos errore huiusmodi, que nullate-  
 nus in corde et intellectu eius cadebant, in capud ipsius ab infec-

<sup>1</sup> Qui fuit Gundisalvus Hispanus, de Vallebona dictus (1304-1313).

<sup>2</sup> Repetitur, sed est expunctum.

ctis ipsis sunt retorta, ut suo iuramento firmiter affirmavit. Et ideo predictis omnibus consideratis, et considerata etiam infirmitate quam patitur et quam senper passus fuit existens in arto, sententiam per supra dictos visitatores datam licet non tollamus, eam temperamus  
5 et temperavimus via et ordine infra scriptis, videlicet quod pre-nominatus frater Franciscus de loco ubi est et stetit artatus, eximatur et per Ministrum Provinciale sibi domus alia, bona, sana ac humana assignetur, in qua penitentiam peragat et perficiat, toto tempore a visitoribus ordinato et ultra, donec provinciale capitulum, quod fieri annis singulis consuevit, sit completum; de qua  
10 domo exire non possit nec debeat absque uno vel duobus fratribus per Ministrum seu Custodem deputato vel deputatis, nisi pro naturalis corporis necessitate, quo casu solus vel cum socio, prout sibi placuerit, exire possit, iturus ad locum predictae necessitatis  
15 actum<sup>1</sup>. In eadem etiam domo possit esse cum fratribus et dormire, ac ibidem bibere et comedere cum eisdem, sui Superioris petita licentia et obtenta. Item volumus, et in hoc predictorum sententiam temperamus, ut cum socio seu sociis, ut predictum est, ire possit ad ecclesiam intra locum, in qua diebus solempnibus,  
20 ut puta paschalibus, in festivitibus beate virginis et apostolorum, in quadragesima etiam qualibet septimana semel, et in septimana sancta, prout sibi placuerit, cum predictis socio vel sociis, dicere possit Missam, ita quod eam videatur potius legere quam cantare; volumus etiam quod per claustrum et domos fratrum possit ambulare de die,  
25 rum duobus tamen fratribus vel saltim uno idoneo per Ministrum vel Custodem specialiter assignato<sup>2</sup>. In toto insuper dicto tempore interdicens eidem, ne possit licteras vel scripturas quaslibet mictere vel recipere a quocunque quas primo non viderit suus Provincialis Minister vel Custos in ipsius Ministri  
30 absentia; personis etiam que de Ordine Fratrum Minorum non essent loqui non possit nisi de specialia licentia Ministri vel Custodis in eius Ministri absentia, et tunc cum duobus sociis, preter simplex salutationis verbum et simile. Quas quidem prohibitiones et

<sup>1</sup> Lege *aptum*.

<sup>2</sup> Sic in originali.

monita durare volumus et mandamus usque ad provinciale capitulum, in quo Minister et qui capitulo pre fuerint, factum predicti fratris Francisci proponere teneantur et debeant et procurare ipsum totaliter expedire et liberare; et si in dicto capitulo idem non fuerit liberatus, Nos ipsum ab omnibus et singulis sibi obiectis, que  
 5 errore spiritus libertatis sapere videantur, auctoritate qua fungimur ex nunc prout ex tunc ipsum fratrem Franciscum absolvi-  
 mus in hiis scriptis. Iniungentes eidem fratri Francisco districte, ut cum sibi a suis Superioribus predicandi licentia concedetur,  
 10 profiteatur et predicet fidem catholicam ac confundat et detestetur errores et maxime errorem spiritus libertatis, sic deinceps vitam suam adornans bonis operibus, ut infamia convertatur in famam, et omne scandalum et suspicio de catholicorum mentibus deleatur. Preterea monitionem canonicam factam eidem per visitatores  
 15 superius nominatos temperamus in hoc, videlicet quod ubi dicitur in dicta monitione: Privamus te Custodie Castellane et Assisinate habitacione pariter et accessu, solum restringimus ad tres annos. Et ex nunc monitionem ipsam in hoc puncto vires ulterius decernimus non habere. Insuper prefato fratri Francisco prophete  
 20 precipimus et mandamus quod omnes nostras monitiones, ordinationes, interdictiones et mandata singulariter teneat et observet, ut superius est descriptum. In quorum omnium testimonium predictus venerabilis pater publicari mandavit per Ildibrandinum notarium infrascriptum et ad fidem plenariam adhibendam sui sigilli appensione muniri.

25 Lata et pronuntiata fuit dicta sententia per supradictum venerabilem patrem pro tribunali sedentem in aula palatii papalis loci beati Francisci de Assisio, presente, audiente et intelligente supradicto fratre Francisco propheta, coram religiosis viris fratre Jacobo de Senis Provinciali Ministro<sup>1</sup>, fratre Andrea de Eugubio Custode dicti loci beati Francisci de Assisio, fratre Philippo de Monteni-

<sup>1</sup> Iacobus de Tundis, de quo cf. N. Papini, *L'Etruria francescana*, 10; B. Bartolomasi, *Series chronologica historica Ministrorum Provincialium... qui seraphicam S. P. N. Francisci Provinciam... gubernarunt*, Romae 1824, 15, et idem in *Miscellanea Francescana*, XXXII, 1932, 207.

gro, fratre Bertino de Burgo Sancti Sepulcri<sup>1</sup>, fratre Silvestro de Montealcino, fratre Jacobo de Gualdo, fratre Thonma de Perusio, domino Sigerio filio contis<sup>2</sup> de Casulis, domino Sazzio priore de Pilli Senensis diocesis, domino Thonma plebano de Laiatico Vul-  
 5 terrane diocesis, et presbitero Mindone<sup>3</sup>, capellanis dicti domini episcopi, testibus ad predicta. Sub annis Domini Millesimo Tre-  
 centesimo undecimo. Indictione Xa<sup>4</sup>, die vigesimonono Mensis ot-  
 tubris.

(*Signum Notarii*). Ego Ildibrandinus condam Odini de Casulis,  
 10 Imperiali auctoritate iudex ordinarius atque notarius supradictis om-  
 nibus interfui et totum et quidquid supra legitur, de mandato dicti  
 venerabilis patris scripsi et publicavi et ideo me subscripsi meum-  
 que signum apposui<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> In documento a. 1321 dicitur Ubertinus et Lector (*Studi Francescani*, S. III, vol. III, 1931, 203), similiter in documento a. 1329 (l. c. 1935). — De ceteris Fratribus nominatis nullam inveni alias mentionem.

<sup>2</sup> Sic, forsitan italice pro comitis. Agi videtur de nepote Raynerii episcopi, qui iuxta Ughelli, *Italia Sacra*, ed. 2, IV, 610, de Casulo cognomen habebat. Idem dicatur de notario in fine documenti.

<sup>3</sup> Lectio incerta; in original: *Mndone*.

<sup>4</sup> Iuxta Indictionem Bedanam 24 septembris incipientem; iuxta Romanam esset IX.

<sup>5</sup> Menda latinitatis huius instrumenti notarilis non duxi esse corrigenda.

## IX.

SENTENTIA FR. ACCURSII DE FLORENTIA O. F. M., IN-  
 QUISITORIS TUSCIAE CONTRA DOMINAM LAPINAM VI-  
 DUAM QUONDAM LAPI, DUDUM SECTAE SPIRITUS  
 5 (LIBERTATIS) SECTATRICEM. — *Florentiae, in Curia Inquisi-*  
*toris (apud S. Crucem), 31 oct. 1327.*

(Florentiae, Archiv. Status, *Diplomatico*, S. Maria Novella; textus  
 editus a F. Tocco, *Studii Francescani*, Napoli 1909, 236-38).

Reverendis in Christo patribus tam religiosis quam aliis eccle-  
 10 siarum presbiteris et capellanis, aliisque Christi fidelibus universis,  
 ad quos presentes advenerint, Frater Accursius florentinus de or-  
 dine fratrum minorum auctoritate apostolica inquisitor heretice  
 pravitatis in Thuscia salutem in domino. Novert universitas vestra  
 dominam Lapinam viduam uxorem quondam Lapi populi sancte  
 15 Lucie Omnium Sanctorum civem florentinam, latricem presentium,  
 dudum illius septe spiritus septatricem, septatores cuius per aliquos  
 insolentes hereticos et prophanos gradus et actus ad tantum et talem  
 perfectionis statum in vita presenti devenire intendunt quod red-  
 20 dantur penitus impeccabiles, postquam per octo annorum spatium  
 in eadem dampnatione perstitit, ad gremium sancte matris eccle-  
 sie rediisse, errores suos fuisse nobis in iudicio manifeste confes-  
 sam, absolutionem ab excommunicatione quam incurrerat ac peni-  
 tentiam de commissis humiliter petivisse; et quod nos, ipsius salu-  
 tem desiderantes, illius intuitu qui vult omnes homines salvos  
 25 fieri, ad eadem corporale iuramentum et promissionem recepimus  
 de parendo mandatis ecclesie et hereticis persecuendis, eamque

absolvimus omnem heresim penitus abiurantem ab excommunicatione predicta iuxta formam ecclesie consuetam, iniuncto sibi quod iniungi talibus consuevit, ut duas cruces panni crocei coloris longitudinis duorum palmorum et latitudinis quattuor digitorum, unam  
5 super pectus et aliam super scapulas dimensionis eiusdem, superioribus vestibus supersutas baiulet in aperto, ita quod de die non appareat sine ipsis, quousque secum fuerit misericorditer dispensatum. Item quod hinc ad annum omnes sextas ferias in pane tantum et aqua ieiunet. Item quod singulis diebus dominicis et  
10 festivis intersit integraliter missarum solemnis, et si commode fieri poterit, predicationem audiat verbi dei. Idem quod toto tempore vite sue omni anno bis ad minus suorum confessionem faciat peccatorum sic integre et vere quod rite possit absolvi, et eucharisticum recipiat sacramentum, nisi huiusmodi sacramenti receptione de  
15 sui abstinerit consilio confessoris. Item quod hinc ad quinque annos inter quamlibet diem et noctem dicat XXV vicibus pater noster et totidem ave-maria. Item quod in carcere moretur eo tempore et loco, quo et quantum nobis vel successoribus nostris videbitur convenire. Imposuimus etiam eidem quod nullo umquam  
20 tempore alicuius religionis vel regule habitum induat, deferat sive portet. Addendi predictis et minuendi de ipsis, eaque corrigendi, interpretandi et commutandi, nobis et successoribus nostris arbitrii facultatem plenariam nihilominus reservantes. Quocirca devotionem vestram rogamus, requirimus et hortamur in domino Jesu Christo,  
25 quatenus eamdem dominam Lapinam huiusmodi litteras deferentem, aliaque servantem que sibi pro penitentia sunt iniuncta (excepto eo dumtaxat quod de crucibus et de carcere dicitur, a quibus eam duximus misericorditer absolvendam) nec non et catholicam conversationem habentem, nullatenus molestetis nec quantum  
30 in vobis et sinatis ab aliis molestari. Et si autem, quod absit, eam contra attentare videritis, ipsam tamquam periuram excommunicatam culpisque astrictam prioribus habeatis, et nobis aut inquisitoribus vel successoribus nostris sive loci diocesano, sub anatematibus vinculo, delationibus submotis quibuslibet, reveletis. — Data

in curia Inquisitoris flor. die ultima octobris, XI indictione,  
MCCCXXVII<sup>1</sup> dominice incarnationis anno.

(*Signum Notarii*). Et ego Iohannes filius olim Bongie de Flo-  
rentia, imperiali auctoritate iudex ordinarius et notarius, et nunc  
5 pro romana ecclesia in provincia Tuscie Inquisitoris officii scriba,  
predicta omnia, quibus dum agerentur interfui, de mandato dicti  
Inquisitoris scripsi et publicavi ideoque suscripsi.

<sup>1</sup> Ut supra p. 80. notavi, apud F. Tocco, *Studi Francescani*, 238; falso  
legitur MCCCXXVI. dum in originali lectio nostra clare habetur.

## X.

TEXTUS DE ERRORIBUS DOCTRINALIBUS  
SPIRITUS LIBERTATIS.

1. — *Ubertinus de Casali, Arbor vitae crucifixae Iesu, Vene-*  
5 *tiis 1485, IV, 7; 36; 37*<sup>1</sup>.

a. - IV, 7.

Attende autem quod, quia hic status est summa perfectio men-  
tis, ideo hec surrexit impia deceptio hostis qui mentes simplicium  
decipit, ac si tam de passione Christi quam de afflictione proximi  
10 debeant sub specie quietudinis in voluntate Dei insensibiliter per-  
transire et quasi in sola Dei fruitione gaudere, non curantes de  
Dei iniuria sive de proximi angustia, dicentes: Deus omnia ordi-  
nat in melius electorum. Et quidem super hoc vero, immo veris-  
simo, hoc impietatis non debet fundari, quia anima in carne pas-  
15 sibili vivens non debeat sentire Dei iniurias et Chrsti dolores in  
toto corde electorum. Nec ista impietas et insensibilitas quam Au-  
gustinus in XIII li. *De civitate Dei*, ca. VIII per totum<sup>2</sup>, prolixè  
et aperte inprobat et vocat eam stuporem mentis et insensibilita-  
tem omnibus vitiis peiorem, ostendens exemplo Christi et apo-  
20 stoli quod affectiones mentis isto modo sunt ordinate sub regula  
divine voluntatis, ut scilicet adhibeantur ubi et quando expedit  
et oportet; et tunc sunt virtutis materia et statui competit via-  
toris.

<sup>1</sup> Opus scriptum a. 1305. Deest in hac unica editione foliorum nu-  
meratio.

<sup>2</sup> Migne, P. L. 41, 411-13.



Hec, inquam, impietas nullo modo figuratur in somno dilecti, quin potius est incompassio diaboli, licet sepe non tamen tanta malitia deludat incautos. Sed hec est vera quietudo mentis que (h)auritur de pectore Iesu, ut scilicet anima vice Dei, quantum potest, omnes eius iniurias doleat, et omnes exemplo Christi in seipso recipiat et ad deplorandum et lamentandum, ac si ipse quasi esset auctor omnium, miranda compassione in se retorquens defectus proximorum, et sic sit contentus de Dei providentia, ut non turbe-  
 5 tur contra eius ordinem, nec propter culpam moveatur contra proximum in rancorem. Sed nihilominus omnia mala que videt vel  
 10 sentit fortissime, in se recipiat cum dolore et compassione Dei iniurie et angustie proximi, et tanto plus quiescet quanto plenius ista sentit; et hanc suam reputet quietem, omnia hec sustinere, ut quies augeatur ex angustia et angustia ex quiete voluntaria, et hoc  
 15 est participium soporis dilecti.

Nec obstat cavillatio quam dicunt maligni: Vis tu dolere de eo quod Deus facit et de quo bonum elicit? Ad quod respondeo quod volo dolere dum sum in carne passibili, sicut Deus me dolere voluit et sicut Christus me suo exemplo docuit, nec bonum, quod  
 20 Deus de malo elicit, impedit quin debeat doleri de omni iniuria Dei, sed hoc solum impedit impatientiam animi.

Sic autem ubique in toto libro volo intelligi mentis quietudinem, et nostre voluntatis anichilationem sub Deo, quia scilicet volumus quod sibi placet nos velle dum sumus in carne,

25 b. - IV, 36.

Quia vero per afflatum Spiritus Sancti factum in nobis per gratiam Christi iustificamur a peccato iuxta illud Roma. III<sup>1</sup> *iustificati gratis per gratiam ipsius*. Et de hoc est articulus fidei quartus inter eos qui ad divinitatem spectant. Ideo hunc articulum exponimus et errores contrarios excludemus...

Undecimus (error) est dicentium quod homines gratiam Dei et charitatem habentes non possunt peccare. Quidam asserunt eos qui aliquando peccant, nunquam charitatem vel Dei gratiam habuisse,

<sup>1</sup> Ed. II; vers. 24.

alii pessimi heretici peiores primis dicunt in baptizatis electis nullum posse esse peccatum quantuncunque scelerata committant.

Contra quos dicitur Apoca. secundo<sup>1</sup>: *Charitatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris.* Et illud Apoca. tertio<sup>2</sup>: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Et contra hoc est tota Pauli doctrina.

c. - IV, 37.

Quia vero Christus Iesus illud quod in se ipso complevit, in nobis per Spiritum Sanctum vegetat et facit nos sibi assimilari de novo et superiora membra cooperari minoribus hierarchico ordine statuit, idcirco ille perfectus status qui descriptus est supra quietis mentalis non inducit negligentiam, nec virtutum conatum et continuum gemitum orationum excludit, quin potius cum ponit animam in perfecto charitatis ardore, totum eam eviscerat ad fugam omnis mali in se et ad succursum proximi omnibus modis quibus decet...

Quomodo enim potest in illa anima negligentia cadere que tota in se est mortua et solum vivit in Christo et totam se immolat Deo pro honore Dei et pro salute proximi, nullo respectu habito boni proprii, sed solum beneplaciti Dei et similitudinis cordis Iesu Christi? Aut quomodo cadit supra spiritum libertatis in illa anima incompassio ad proximum in tribulationibus, quando ipsa anima est tota sic data amori eius, quod omnes eius tribulationes petit a Domino, sicut dictum est supra, super se evenire, si Deo placeat et illum liberari ab eis? Unde ista anima optime fugit pestem illius venenati erroris spiritus libertatis, immo potius malignitatis. Illi enim mortis filii ex hoc verissimo principio, quod nos nihil boni possumus sine gratia, volunt quod quicquid facimus sit a gratia, ac per hoc comedere et fornicari et similia dicunt in nobis non esse culpas, quia gratia movet, ut dicunt, ad ista. Sed hec illumina crux gratie dicit quod libertas arbitrii defectiva stat com-

<sup>1</sup> Vers. 45.

<sup>2</sup> Vers. 11.

munitur dum sumus in via cum gratia, et ideo potest contra lumen gratie et divine legis agere secundum suum malitiosum appetitum et sic agendo destruit in se gratiam, et hoc est peccare. Et quia hoc libere elegit contra remorsum gratie et imperium legis divine,  
 5 ideo se avērtit a Deo ac per hoc facit sibi falsum deum delectatione quam elegit, propter quod iustissime in eternum damnatur...

2. — *Alvarus Pelagius, De plactu ecclesiae*, II, 52, ed. Venetiis 1560, f. 110ra ss. <sup>1</sup>.

[f. 110rb] Et unus error eorum est: Homo in presenti vita...  
 10 talem gradum perfectionis potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit; nam ut dicunt, si quis posset semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

[f. 111rb] Secundus error Begardorum est, quod ieiunare non  
 15 oportet hominem vel orare, postquam gradum ultimum perfectionis fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subiecta, quod potest homo libere corpori concedere quid placet. — Sed iste error fundatur in errore spiritus libertatis.

[f. 112rb - va] Tertius error Begardorum est, quia dicunt quod  
 20 illi qui sunt in predicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humane subiecti obedientie...

[f. 113rb] Rursus quod dicunt Begardi et allegant pro se verbum Pauli II ad Corint. III <sup>2</sup>: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*  
 Et Gala. V <sup>3</sup> ibi: *Quia si spiritu Dei ducimini, non estis sub lege...*  
 25 Sed ipsi ceci et carnales equivocant libertatem. Isti enim carnales totaliter, qui sunt proprie de illis hereticis de spiritu libertatis, de peccato sibi conscientiam non faciunt; dicunt enim: modo est tem-

<sup>1</sup> In toto hoc cap. Alvarus Pelagius elenchum octo errorum Begardorum in cap. 3 *Ad nostrum* (V, 3) in Clem. enumeratorum sequitur et confutat. Errores n. 2, 3, 6, 7 expresse etiam Spiritui libertatis adscribit; has igitur, ut iacent apud auctorem, refero, addito errore 1, qui certe est etiam Spiritus libertatis, et textu prolixiori erroris 3 refutationis, in qua auctor Begardos, Dulcinistas (Apostolicos) et Spiritum libertatis mire confundit.

<sup>2</sup> Vers. 17.

<sup>3</sup> Vers. 18.

5 pus tertium spiritus sancti<sup>1</sup>. Distingunt enim totum tempus a  
 creatione mundi usque ad consumationem seculi in tria tempora.  
 et dicunt quod primum tempus creationis usque ad Christum, fuit  
 tempus patris. Secundum tempus ab incarnatione Christi usque ad  
 10 adventum spiritus sancti, fuit tempus filii, et tempus redemptio-  
 nis; a missione spiritus sancti, usque ad finem mundi, est tempus  
 spiritus sancti, tempus libertatis ad faciendum quicquid homini  
 libet, nec reputant hic aliquid malum esse. Sed iste error eorum  
 est periculosior omnium, quia otium [sic] errorem includit: ab  
 15 antiquis hereticis originem traxit et in istis temporibus novissi-  
 mis propinquis perditionis filio Antichristo multum invaluit et  
 invalescit et invalescet. Unus enim ex eis dixit, non est diu, qui  
 erat ex episcopatu Tudertino, sicut fuit probatum per testes, me ibi  
 20 existente, quod nihil aliud erat infernus nisi non facere propriam  
 voluntatem, et paradus non erat aliud, nisi facere in omnibus  
 propriam voluntatem [f. 113va] et uti in omnibus propria liber-  
 tate. De peccato ergo aliquo conscientiam aliquam sibi non fa-  
 ciunt, maxime de peccato carnis, sicut patet extra<sup>2</sup>, de hereti.  
 25 *Ad nostrum* in VII errore..., propter quod omnes sunt immundi,  
 sicut manifestum est per eorum proprias confessiones et fideles  
 attestaciones habitas in diebus meis, maxime in partibus Lombar-  
 die et in provincia ducata que est provincia beati Francisci<sup>3</sup>.  
 Caput autem istius secte spiritus libertatis istis temporibus fuit  
 Dulchinus Lombardus, qui fuit combustus cum quadam sua me-  
 30 retrice in Lombardia prope vercellensem civitatem.

[f. 114va] Begardi ergo isti, contra quos superius disputavi,  
 redeant ad spiritum domini et non carnis, si veram habere deside-  
 rant libertatem; sed spiritu fornicationis decepti sunt ipsi et eorum  
 consimiles, sicut expresse dicitur Osee V<sup>4</sup>: *Spiritus fornicationis*  
 30 *in medio eorum et dominum non cognoverunt.*

[f. 116rb] Sextus error istorum Begardorum est quod se exer-

<sup>1</sup> Ioachimismus bene invenitur apud Dulcinistas, non vero apud asseclas Spiritus libertatis.

<sup>2</sup> In Clem.

<sup>3</sup> Hic Auctor connexum Spiritus libertatis cum Apostolicis clare innuit.

<sup>4</sup> Ed. VI: vers. 4.

cere in actibus virtutum, est hominis imperfecti, et perfecta anima licenciat a se virtutes. — Istum errorem qui etiam surgit de spiritu libertatis, reprobatur et confunditur tota vita Christi et sanctorum omnium perfectorum.

5 [f. 116va] Septimus error Begardorum est, quod osculum mulieris, quum ad hoc non inclinet natura, est mortale peccatum, actus autem carnalis, quum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime quum tentatur exercens. — ...Hoc dicunt quia sunt de spiritu libertatis.

10 3. — *Alvarus Pelagius, Collyrium adversus haereses novas.*  
(Cod. Ottob. lat. 2795, Bibl. Vatic., membr., saec. XIV, mm. 280 x 210).

[f. 23v-25r]: Alia est heresis que dicit quod si Deus non vellet, non peccaret homo, que heresis supponit Deum velle peccatum et velle quod malum est, quia peccatum malum est culpe et obligans ad penam... ergo pessima heresis est dicere, quod sine directa voluntate Dei non peccat homo..

15 [f. 25v-26r]: Alia tenet heresis quod coniunctio carnis, sine matrimonio, soluti cum soluta non est peccatum mortale, quod hereticum est sentire, quia si non incidit in heresim qui fornicatur, hereticus tamen est quia contra sacram scripturam dicit non esse peccatum mortale, sicut supra dixi in alio articulo. ...Sed latius per nos in opere nostro quod vocatur *Status*<sup>1</sup> in parte II, in § qui incipit Septimus, in articulo XVII, ubi expono errores Begardorum  
20 latissime, in eodem opere nostro, in II parte, in § nunc de immundicia, in articulo LXXVIII.

[f. 84v] Tenere quod in hac vita non possit homo amplius crescere in gratia grantumque perfectus sit. Et quod in hac vita tantum quis possit crescere in gratia et esse perfectus quod efficietur impeccabilis, error. Tenere quod homo perfectus ieiunare  
25 non teneatur, error est. Tenere quod homo perfectus obedire non

<sup>1</sup> Agitur de opere *De planctu ecclesiae*, quod in codicibus saepius et rectius *De statu et planctu ecclesiae* inscribitur.

teneatur homini, nec est ad aliqua precepta ecclesie obligatus, error est.

[f. 85r] Tenere quod se exercere in actibus virtutum est hominis imperfecti et perfecta anima licenciat a se virtutes, error est.

5 Tenere quod osculum mulieris semper est peccatum mortale, et quod actus carnalis peccatum non est, error est...

Isti octo errores proximi supradicti coll(ig)untur extra, in Cle. de here. *Ad nostrum*. ...

10 4. — *Errores sectae Spiritus libertatis iuxta Manuale Inquisitorum*  
O.F.M. Tusciae.

(Cod. 1730 (A. IV. 49) Bibl. Casanatensis, Romae, membr., saec. XIV, f. 39ra-b).

[f. 39r a] Isti sunt herrores illorum qui sunt de septa spiritus libertatis<sup>1</sup>.

15 1. Quod damnatio eterna non est, sed quod anime purgantur in vita ista per diversas penalitates, et quod alique non plene purgate hic, purgantur in alia vita, sicut divina sapientia disponit.

2. Quod nullum est peccatum seu vitium, sed quod ea que dicuntur peccata et culpe sunt purgationes animarum date a Deo.

20 Et quod Deus non offenditur ab aliqua creatura, sed omnia eveniunt sicut Deus disponit.

3. Quod omnia vitia et peccata sunt necessaria pro animarum utilitate, sicut gratie et virtutes et bone operationes, et quod eque bene anime proficiunt per peccata sicut per virtutes, imo aliquando plus; et ideo anima non debet dolere de aliqua re vel culpa sua  
25 vel alterius, quia sunt necessaria, et omnia fiunt a Deo.

4. Item quod liberum arbitrium nihil potest vel agit, nec in bono vel in malo, nisi sicut ducitur a Deo.

30 5. Item quod opera penitentiae non sunt necessaria nec utilia nisi imperfectis, similiter et sacramenta ecclesie, preter sacramentum corporis Domini.

<sup>1</sup> Numeri a me adiecti sunt erroribus. Textus prius editus fuit ab I. Döllinger, *Beiträge zur Sektengeschichte des Mittelalters*, München 1890, II, 416s. et a Ch. Molinier (cf. supra, p. 7. nota 2), a neutro vero accurate.

6. [f. 39rb] Item demones appellant quascunque passiones et vitia, sive corporalia sive spiritualia, quibus affliguntur.
7. Item quod anima purgata in quibuscunque delectationibus spiritualibus, corporalibus sive carnalibus, ita Deum presentem habet, sicut in virtutibus et operibus bonis, et illa que magis delectant sensus corporales, videntur magis Deum representare.
8. Item passio Christi non fuit necessaria ad damnationem eternam vitandam, sed ad provocandum in bono.
9. Item quod homines in hac via vel secta perfecti sunt pares Christo, nec Deus assumpsit plus illum hominem quam alios perfectos, est tamen Christus verus Deus.





## INDEX ALPHABETICUS

### A

- Abate Ios., O.M.Conv. 50<sup>1</sup>.  
 Accursius Bonfantini, O.F.M.,  
   Inquisitor Florentiae 80, 147.  
*Acta Sanctorum* 10<sup>1</sup>, 13<sup>1</sup>, 63<sup>2</sup>,  
   66<sup>3</sup>.  
 Agnes, S. 96s, 106, 122.  
 Alberici Iacopo, O.E.S.A. 10<sup>1</sup>.  
 Aldelmus, S. 63<sup>2</sup>.  
 Alemaniam 60.  
 Alexander de Hales, O.F.M. 91<sup>1</sup>.  
 Alumbados 86.  
 Alvarus Pelagius, O.F.M. 4, 6,  
   22s, 32, 52, 54-57, 65, 66<sup>1</sup>,  
   68s, 78s, 83, 132, 153, 155.  
 Alverna, mons 53.  
 Amalriciani, 3s, 40 58ss, 76, 88.  
 Amalricus de Bena, 4, 65, 76.  
 Amaro A., O.F.M., 56<sup>1-2</sup>.  
*Analecta Augustiniana* 13<sup>2</sup>.  
*Analecta Bollandiana* 14<sup>1</sup>, 63<sup>2</sup>.  
 Andreas de Eugubio, Custos Sa-  
   cri Conventus Assisii, 49, 51,  
   145.  
 Andreas de' Mozzi, O.F.M., In-  
   quisitor Florentiae 78<sup>2</sup>.  
 Andreas de Perugia, O.F.M., In-  
   quisitor Umbriae 28, 73, 74<sup>2</sup>,  
   108, 112, 117.  
 Andreas de Perugia, O.F.M.,  
   mag. theol. 74<sup>2</sup>.  
 Andreas Guidonis de Perugia, O.  
   F.M., episcopus Zaitunensis,  
   73.  
 Angela de Fulgineo, B. 6, 63.  
 Angelus de Clarino VII, 4s, 27,  
   36, 67s, 75s.  
 Anselmus, S. 91<sup>1</sup>.  
 Antonius de Montefalco, O.F.M.  
   10<sup>1</sup>.  
 Apostolici, 4, 63, 69ss, 153<sup>1</sup> 154<sup>3</sup>  
   - v. *Dulcinistae*.  
*Archivo Ibero-Americano* 56<sup>1</sup>.  
*Archivum Franciscanum histori-*  
   *cum* 35<sup>2</sup>.  
*Archivum Fratrum Praedicato-*  
   *rum* 58<sup>3</sup>.  
 Archivum generale O.M.Conv.  
   Romae ad 12 Apostolos 50<sup>1</sup>.  
 — Status Florentiae 80<sup>4</sup>, 81<sup>1</sup>,  
   147.  
 — Vaticanum 14, 17<sup>2</sup>, 103,  
   112<sup>1</sup>, 133.  
 Aretium, 24ss, 75, 77s, 87.  
 Ariminum 44.  
 Arnaldus de Villanova 6, 26, 33,  
   36, 71, 77, 88, 127s.  
 Assisium 22, 42s, 49, 51, 88,  
   145.  
 Augustino de Montefalco, O.E.  
   S.A. 18<sup>1</sup>.  
 Augustinus, S. 11s, 91<sup>1</sup>.  
 Augustinus de Stronconio, O.F.  
   M. 50.  
 Avinio 30, 127.

## B

- Baluzius, Steph. 86<sup>2</sup>.  
 Bartholinus de Perusia, O.F.M.,  
 Inquisitor Umbriae 79.  
 Bartholomaeus de Pisa, O.F.M.  
 79.  
 Bartholomaeus Sycardi, O.F.M.  
 131.  
 Bartolomasi Bonav., O.M.Conv.  
 50, 145<sup>1</sup>.  
 Begardi, 4, 40, 54-56, 60, 65s,  
 86, 88, 153ss.  
 Beguinae Alemaniae 54.  
 Beguini Galliae Meridionalis 33,  
 85.  
 Bentivenga de Eugubio, auctor  
 haeresis Spiritus libertatis 7,  
 18ss, 23, 25ss, 29ss, 32, 36,  
 43, 45, 55, 58, 60, 62ss, 66-  
 72, 74s, 77ss, 87s, 94<sup>1</sup>, 95,  
 104, 106, 107-109, 112-119,  
 132<sup>1</sup>.  
 Berengarius de S. Africano, auc-  
 tor Vitae S. Clarae de Monte-  
 falco editae a De Töth et Fa-  
 loci Pulignani 5, 9, 10<sup>1</sup>, 11<sup>1</sup>,  
 13, 14<sup>2</sup>, 15s, 25, 27<sup>1</sup>, 29ss, 32,  
 52, 59s, 72, 75, 77, 91-102,  
 109<sup>1</sup>, 112<sup>1</sup>.  
 Bernardinus Senensis, S. 84, 91<sup>1</sup>.  
 Bernardus, S. 91<sup>1</sup>.  
 Bernardus de Bessa, O.F.M. 17<sup>2</sup>.  
 Bernardus Guidonis, O.P. 63,  
 70<sup>1-2</sup>, 71, 76.  
 Bernardus de Pisauris 23, 74,  
 108s, 118.  
 Bernino, Domenico 7.  
 Bertinus (Ubertinus) de Burgo S.  
 Sepulcri, O.F.M. 146.  
 Bertrandus de Turre, O.F.M..  
 card. 17.  
 Bibliotheca Andegavensis 17<sup>2</sup>.  
 — Casanatensis Romae 13<sup>2</sup>, 58,  
 91<sup>1</sup>, 156.  
 — Magdalene College Oxoniae  
 91<sup>1</sup>.  
 — nat. Parisiensis 13<sup>2</sup>.  
 — Perusina municipalis 49, 51<sup>1</sup>,  
 143.  
 — Vallicellana Romae 17<sup>2</sup>.  
 — Vaticana 13<sup>2</sup>, 14, 56, 81<sup>2</sup>, 91,  
 155.  
 Biscaro, Gerol. 44<sup>1</sup>, 78<sup>2</sup>.  
 Bizochi 40<sup>1</sup>.  
 Blaxius de Spoleto, 118.  
 Bock, F. 58<sup>3</sup>.  
 Bollandistae, 10<sup>1</sup>, 63<sup>2</sup>.  
*Bollettino d. R. deputazione di  
 storia patria per l'Umbria* 15<sup>2</sup>,  
 36<sup>1</sup>, 44<sup>1</sup>, 80<sup>1</sup>, 83<sup>6</sup>, 86<sup>1</sup>.  
 Bonaventura, S., O.F.M. 46<sup>3</sup>.  
 Bonifatius VIII 40, 42<sup>2</sup>, 74<sup>2</sup>,  
 112<sup>1</sup>.  
 Bonilla y San Martin A., 127.  
 Bononia, 44, 63<sup>4</sup>.  
 Bracaloni, L., O.F.M., 84<sup>5</sup>.  
 Brewer, J. S. 63<sup>2</sup>.  
 Brugliano, conv., O.F.M. 112<sup>1</sup>.  
 Bruxellae 86.
- C
- Caesarius Heisterbacensis 58<sup>1</sup>,  
 76.  
 Caffarini Thomas de Senis, O.P.  
 82<sup>2</sup>.  
 Callaey Fredegandus, O.M.Cap.  
 7, 22, 36, 78<sup>2</sup>.  
 Campeggi Camillus, Papiensis,  
 O.P. 44<sup>6</sup>.  
 Cantù, C. 34<sup>4</sup>.  
 Capelle, G. C., O.S.B. 58<sup>1</sup>, 60<sup>1</sup>.  
 Cathari, in Gallia Albigenses, in  
 Italia Patarini vocati 3, 28, 58.  
 Catharina Senensis, S. 82<sup>2</sup>.

- Cavallon, Theodorus, O.F.M. 80<sup>4</sup>.  
 Checchi, V., O.F.M. 12<sup>2</sup>.  
 Christina Oringa, B. 12.  
*Chronica 24 Generalium* O.F.M. 79.  
 Ciatti, Felix, O.M.Conv. 50s.  
 Clara de Montefalco, S. VII, 5s. 8, 9-27, 91-126 et passim.  
 Clemens V VIII, 6ss, 37, 41s, 52, 57, 73, 88, 130<sup>1</sup>, 133.  
*Clementinae* 54, 85.  
 Clusium 24.  
 Cocorano = Monsfalcus 29, 119s.  
 Colfiorito, monast. Clarissarum prope Spoleum 112<sup>1</sup>.  
 Colonna, Fabricio 18<sup>1</sup>.  
 Colonna, Jacobus, card. 22s, 77, 109, 112<sup>1</sup>.  
 Concilium Viennense 54.  
 Cortona 24.  
 Curia papalis Avenione 30, 34, 40, 43.  
 Custodia Assisana, O.F.M. 48.  
 — Castellana (Civitatis Castellii), O.F.M. 48.  
 Cyprianus, S. 63<sup>2</sup>.
- D
- Damianus, pater S. Clarae de Montefalco, 11.  
*Decretum Gratiani* 46<sup>4</sup>.  
 De Luca, Giuseppe 83<sup>1</sup>.  
 De Töth, P.T., v. Berengarius de s. Africano.  
 Disciplinantes, v. Flagellantes.  
 Döllinger, I. 58<sup>2</sup>, 60<sup>3</sup>, 156<sup>1</sup>.  
 Dominicus Savi de Esculo, haereticus 84.  
 Donatus de S. Agatha, O.F.M., Inquisitor Romandiola 44<sup>6</sup>.  
 Doncoeur, P. 61<sup>1</sup>.  
 Douais 63<sup>3</sup>, 70<sup>1-2</sup>, 71<sup>1</sup>, 76<sup>1</sup>.
- Douie, D. L. 75<sup>2</sup>.  
 Ducatus Spoletanus VIII, 22, 26, 66.  
 Dulcinistae (Apostolici) 4, 40, 88, 153<sup>1</sup>, 154<sup>1</sup>.  
 Dulcinus de Novaria 4, 63, 67, 70.  
 Du Plessis d'Argentré 84<sup>6</sup>, 86<sup>2</sup>.
- E
- Ehrle Fr., card. 6, 33<sup>2</sup>, 40s, 64, 83<sup>6</sup>, 84, 123.  
 Elemosina loh. O.F.M. 73, 79.  
 Eubel, C. O.M.Conv. 15<sup>2</sup>, 17<sup>1</sup>, 42<sup>2</sup>, 44<sup>1</sup>, 73<sup>1</sup>.
- F
- Fadrigue de Sicilia, rex 127.  
 Faloci Pulignani M., v. Berengarius de S. Africano.  
 Faventia 24.  
 Fenelon 47.  
 Ferré, M.-J. 61<sup>1</sup>.  
 Flagellantes, Disciplinantes, Fustigati 72, 104s.  
 Florentia 24, 26, 44, 78, 80, 81<sup>1</sup>, 132.  
 Foran, P.E.A. 10<sup>1</sup>.  
 Forolivium 24.  
 Francisca magistri Gualterii de Montefalco, soror 112<sup>1</sup>.  
 Franciscus, S. 4, 11s, 67, 69, 91<sup>1</sup> - v. Provincia S. Fr., Regula S. Fr.  
 Franciscus Damiani, O.F.M., frater S. Clarae de Montefalco 13, 15, 57, 68, 73, 114-119.  
 Franciscus de Burgo S. Sepulcri, O.F.M., Propheta dictus VIII, 6, 8, 33, 35, 42-51, 52, 57, 78s, 88, 143-146.

Franciscus de Burgo S. Sepulcri,  
O.F.M., martyr Taurisii 42<sup>1</sup>.  
Franciscus de Tuderto, O.F.M.,  
Min. Prov. Umbriae 120<sup>1</sup>.  
Fratricelli haeretici VII, 4, 33, 40<sup>1</sup>,  
79<sup>3</sup>, 84<sup>5</sup>, 105<sup>2</sup>.  
Fratres Minores quidam haeresis  
Spiritus libertatis asseclae, 29<sup>5</sup>.  
Fucecchio 24.  
Fulgineum 119.  
Fumi, L. 15<sup>2</sup>, 36, 44<sup>1</sup> 66, 80<sup>1</sup>,  
83<sup>4</sup>, 84, 86<sup>1</sup>, 126<sup>1</sup>.

## G

Gallia 3, 33, 58, 85<sup>5</sup>.  
Gams 42<sup>2</sup>.  
Garampi, Gius. 22<sup>1</sup>.  
Geraldus Cambrensis 63<sup>2</sup>.  
Gerardus, episc. Spoletanus 11.  
Germania 86.  
Gerrini, O. 3<sup>1</sup>.  
Gerson, Iohannes 53<sup>2</sup>.  
Glorieux, P. 91<sup>1</sup>.  
Goffridus Vindocinensis 63<sup>2</sup>.  
Golubovich, G., O.F.M. 42<sup>1</sup>,  
84<sup>4</sup>.  
Gregorius M., S. 46.  
Grimaldus de Prato, O.F.M. VIII,  
44, 50, 78, 88, 131<sup>1</sup>, 143.  
Grundmann, H. 62.  
Guido de Tuschis de Bononia,  
O.F.M. VIII, 44, 50, 78, 88,  
131<sup>1</sup>, 143.  
Guillelmitae, haeretici 4.  
Guilielmus de Hildernisse, O.  
Carm., haeticus 86.  
Guilielmus Ruffi, beguinus gal-  
lus 85.  
Gundisalvus Hispanus, Min.  
Gen. O.F.M. VIII, 43, 131<sup>3</sup>,  
143<sup>1</sup>.

## H

Hartel 63<sup>2</sup>.  
Hieronymus Senensis, O.E.S.A.  
82.  
Hispania 86.  
*Historisches Jahrbuch* 22<sup>1</sup>, 24<sup>4</sup>.  
Holder-Egger 63<sup>1</sup>.  
Homines intelligentiae, haeretici  
86.  
Honorius IV 70.  
Hugo Panziera de Prato, O.F.M.  
81<sup>5</sup>.  
Huyskens, A. 22<sup>1</sup>, 112<sup>1</sup>.

## I

Iacobilli, L. 112<sup>1</sup>.  
Iacoponus de Tuderto, O.F.M.  
81<sup>2</sup>, 84<sup>3</sup>.  
Iacobus Capitonis de Montefal-  
co, O.F.M., 16, 19<sup>55</sup>, 29<sup>5</sup>, 32,  
58, 78<sup>5</sup>, 94<sup>1</sup>, 95, 103, 111,  
119<sup>5</sup>.  
Iacobus de Colfiorito, O.F.M.  
112.  
Iacobus de Gualdo, O.F.M. 146.  
Iacobus de Mevania, O.P. 66.  
Iacobus de Tundo de Senis, O.  
F.M., Min. Prov. S. Francisci  
49, 51, 145.  
Jaime de Aragón, rex 127.  
Ildefonso di S. Luigi, O.Carm.  
82<sup>2</sup>.  
Ildibrandinus quondam Odini de  
Casulis, notarius 50, 146.  
Illuminata, soror 107.  
Imola 24.  
Ioachimismus 32, 61<sup>55</sup>, 86, 88,  
154<sup>1</sup>.  
Iohanna, soror S. Clarae de Mon-  
tefalco 11, 13.  
Iohanna, abbatissa S. Crucis de

- Montefalco 145, 104, 107, 109.  
 Iohannes XXII, 135, 15<sup>2</sup>, 17.  
 Iohannes olim Bongie de Florentia, notarius 149.  
 Iohannutius de Mevania, O.F.M. dictus Pulcinus, confessor S. Clarae de Montefalco 16s, 30s, 69s, 72, 100, 105, 107, 109, 126<sup>2</sup>.  
 Italia, 3, 22, 50, 83, 136.
- K**
- Knoth, E. 78<sup>2</sup>.  
 Kristeller, Paul 10<sup>1</sup>.
- L**
- Langlois, E. 70<sup>3-4</sup>.  
 Lapina, vidua Lapi, 80s, 147-149.  
 Lea, Ch. H. 7, 44<sup>4</sup>, 47, 62, 76<sup>2</sup>, 84<sup>4</sup>.  
 Leo, socius S. Francisci, 67.  
 Limborch, Philippus 85, 86<sup>1</sup>.  
 Luca di S. Giuseppe, Passionista 10<sup>1</sup>.  
 Luciferiani, haeretici 4.  
 Ludovicus Bavarus 73s.  
 Ludovicus de Pelago, O.F.M. 24<sup>2</sup>.  
 Lugdunum 24.
- M**
- Magdalena, S. 96, 106, 122.  
 Mansi, 86<sup>2</sup>.  
 Marbodus, episc. Redonensis, 63<sup>2</sup>.  
 Marchia Anconitana, 22, 80.  
 Marchia Trevisana, 24.  
 Marco da Lisbona, O.F.M., 81<sup>2</sup>.  
 Margarita de Cortona, S. 24.
- Marina magistri Jacobi de Montefalco, soror 14, 103, 107.  
 Masseus de Fulgineo, O.F.M., 119.  
 Massi, Franciscus 14.  
 Matthaëus ab Aquasparta, O.F.M., card. 42<sup>2</sup>, 44<sup>1</sup>.  
 Melicis castrum in dioec. Spoletana, 112<sup>1</sup>.  
 Menéndez y Peiayo, M. 127.  
 Merlin, A. N. 10<sup>1</sup>.  
 Migne, Pat. Lat. 46<sup>1</sup>, 63<sup>2</sup>, 150<sup>2</sup>.  
*Miscellanea Francescana* 50<sup>2-4</sup>.  
 Misciattelli, P. 82<sup>2</sup>.  
 Molinier, A. 17<sup>2</sup>.  
 Molinier, Ch. 7, 156<sup>1</sup>.  
 Molinos, Mich. 7, 47, 82<sup>2</sup>, 83, 86.  
 Mollat, G. 63<sup>3</sup>, 70<sup>1-2</sup>, 76<sup>1</sup>.  
 Monsfalcus 26, 31 et passim.  
 Mons Politianus 24.  
 Montefeltro, Agnesina de 18<sup>1</sup>.  
 Monti, G. M. 105<sup>1</sup>.  
 Mosconius, Isidorus 10<sup>1</sup>, 11<sup>2</sup>.  
 Mosheim I. L. 54<sup>2</sup>.  
 Müller Ewald, O.F.M. 54<sup>2</sup>.  
 Muratori, 63<sup>1</sup>, 70<sup>1-2</sup>.  
 Mutina 44.
- N**
- Nardecchia, At. 50<sup>1</sup>.  
 Nicolaitae 66.  
 Nicolaus IV 70.  
 Nicolaus Alberti, O.P., card. 17.
- O**
- Olivi Petrus Iohannis, O.F.M. 33.  
 Orsini Napoleo, card. viis, 17s, 19<sup>1</sup>, 22-27, 29, 40, 43, 74s, 77, 87, 108s, 118.  
 Ortliebarii, haeretici 4.

- Ottonellus, primus disseminator Spiritus libertatis in Umbria, 62, 66.  
 — Tusciae 32.
- Ovidius 135<sup>2</sup>.
- P
- Pantheismus, 61ss, 88.  
 Papini. Giovanni 83<sup>1</sup>.  
 Papini, Nic., O.M.Conv. 44<sup>1</sup>, 50, 53<sup>2</sup>, 78<sup>2</sup>, 145<sup>1</sup>.  
 Patarini 3, 28.  
 Paulus, S., apost. 66, 83.  
 Paulus de Burgo S. Sepulcri, O.F.M. 30s, 79, 119s.  
 Paulus Zoppus, fraticellus 36, 83ss, 126<sup>1</sup>.  
 Perugia VIII, 49, 51, 53.  
 Petrus Alliacus, episc. Camera-censis, 86.  
 Petrus de Arreblayo, card. 17.  
 Petrus Maurini de Monte Al'onis, catharus 58<sup>1</sup>.  
 Petrus Salamonis de Montefalco, O.F.M. 16, 29ss, 103, 111.  
 Philippus de Garfagnana, O.F.M., Inquisitor Florentiae 78.  
 Philippus de Montenigro, O.F.M. 145s.  
 Philippus de Pistorio, O.P. 81<sup>1</sup>.  
 Piergilii Baptista 10, 11<sup>2-1</sup>, 13<sup>2-1</sup>, 25<sup>1</sup>, 29, 112<sup>1</sup>, 119<sup>2</sup>.  
 Pistorium 24.  
 Placentia 44.  
 Pou y Marti, J., O.F.M. 127<sup>1</sup>, 128<sup>1</sup>.  
 Provincia lanuensis O.F.M. 44.  
 — Marchiae Anconitanae 32.  
 — Provinciae 130<sup>2</sup>.  
 — S. Francisci in Umbria, viis, 13, 22, 26ss, 32, 34ss, 43, 51.
- Q
- Quentin, H., O.S.B. 73<sup>1-2</sup>.  
 Quietismus, IX, 4, 7, 53ss, 69, 72, 81-83, 86.
- R
- Raymundus, fraticellus de Spoleto, 84.  
 Raymundus Fonsiacus, O.F.M., 5, 33, 35, 43, 45, 47, 49, 51, 67s, 77, 88, 131.  
 Raymundus Gaufredi, O.F.M. 130<sup>2</sup>, 131.  
 Raynaldus, annalista 5, 37, 40s, 139<sup>2-3</sup>.  
 Raynerius, episc. Cremonensis, VIII, 7, 35, 37, 41, 42-51, 88, 130<sup>1</sup>, 131, 133.  
 Reate, 83.  
 Regula S. Augustini 11s.  
 Regula S. Francisci VII, 32.  
 Regula III Ordinis S. Francisci 11s.  
 Relatio Cardinalium de Processu can. S. Clarae de Montefalco 9, 17ss, 30, 52, 69, 72, 121<sup>1</sup>, 126.  
 Robertus de Arbrissello, 63<sup>2</sup>.  
 Roma 14, 22<sup>1</sup>, 24.  
 Romandiola 24s, 44.  
 Rudolphus, Amalricianos detegens 76.
- S
- Salimbene, O.F.M. 63, 105<sup>1</sup>.  
 S. Basilii ecclesia Cortonae 24<sup>1</sup>.  
 S. Crucis Mentisfalci, monast. 10ss, 17<sup>2</sup>, 31s, 120.

## INDEX ALPHABETICUS

- S. Crucis Vallis Arni, monast. 12.  
 S. Francisci, conv. Assisii 51.  
 S. Francisci, conventus Montisfalci 31s.  
 S. Francisci, Prati, ecclesia 44.  
 S. Francesco al Prato, Perusiae 49.  
 S. Gregorio piccolo, seu de Palatio, monast. Spoleti 112<sup>1</sup>.  
 S. Lucia Omnium Sanctorum Florentiae 80, 147.  
 S. Margaritae eccl. Cortonae 24<sup>2</sup>.  
 S. Maria inter angulos, monast. Spoleti 112<sup>1</sup>.  
 S. Maria Novella, Florentiae 80<sup>4</sup>, 81<sup>1</sup>, 147.  
 S. Monica, conv. O.E.S.A., Romae 14.  
 S. Petri basilica Romae 22<sup>1</sup>.  
 Sazius, prior de Pilli Senens-  
 dioec. 146.  
 Sbaralea, H. O. M. Conv. 40<sup>4</sup>,  
 50<sup>1</sup>, 81<sup>2</sup>.  
 Scholz, R. 56<sup>1,2</sup>, 74.  
 Sectae haereticæ variae 3s, 53-  
 63 et passim.  
 Segarelli, Gerardus 60, 63, 67,  
 69, 87.  
 Segarizzi, A. 63<sup>4</sup>.  
 Senae 78.  
 Semenza, A., O.E.S.A. 13<sup>2</sup>.  
 Senenses 24.  
 Sigerius de Casulis 146  
 Silvester de Montealcino, O.F.M.  
 146.  
 Simon Philippi de Spoletto, O.F.  
 M., Inquisitor Prov. Romanae  
 83.  
 Sinae 73.  
 Spirituales franciscani VII, 31ss,  
 36, 44<sup>1</sup>, 84, 88, 129-131.  
 Spiritus libertatis haeresis, no-  
 men 65s; origo 62, 66-73;  
 propagatio 28-36, 71s, 77s,  
 79-87, 128; doctrina 20s, 52-  
 64, 88, 94-97, 100s, 107, 110,  
 114ss, 122s, 127, 150-157; de-  
 tectio et condemnatio 9, 13,  
 16, 21, 37-41, 73-79, 97ss,  
 108s, 112ss, 117s, 141s; nomi-  
 natur passim.  
 Spoletum 13, 29, 84, 112<sup>1</sup>, 125.  
 Strange, J. 58<sup>1</sup>, 76<sup>3</sup>.  
 Stephanus de Montefalco, nota-  
 rius 109<sup>1</sup>.  
 Studi Franciscani 44<sup>1</sup>, 58<sup>3</sup>, 84<sup>6</sup>,  
 146<sup>1</sup>.  
 Studi Medievales 44<sup>1</sup>, 78<sup>2</sup>.

## T

- Tardy, Lorenzo, O.E.S.A. 10<sup>1</sup>.  
 Tatari 73s.  
 Terrinca, Ant. de, O.F.M., 44<sup>1</sup>.  
 Thomas Boni de Fulgineo, O.F.  
 M. 15, 119s.  
 Thomas de Celano, O.F.M., 46<sup>3</sup>.  
 Thomas de Perusio, O.F.M. 146.  
 Thomas, plebanus de Laiatico,  
 Vulturnanae dioec. 146.  
 Thomassa magistri Angeli de  
 Montefalco, soror 14, 23, 25s,  
 104.  
 Thomassa, monialis monast. Col-  
 fiorito 112<sup>1</sup>.  
 Thomassus, canonicus Eugubi-  
 nus 109<sup>1</sup>.  
 Tocco, Felice 3<sup>1</sup>, 7, 36, 60<sup>2</sup>, 80,  
 147, 149<sup>1</sup>.  
 Tossinianensis, Petrus Rod., O.  
 M.Conv. 31<sup>1</sup>, 44<sup>6</sup>.  
 Tridentum, 63<sup>4</sup>.  
 Tuscia 24, 26, 33, 44<sup>1</sup>, 52, 58,  
 80s, 87, 99, 118, 125, 128,  
 147, 149, 156.

## U

Ubertinus de Casali, O.F.M. viis,  
5s, 22, 24, 26s, 31, 34s, 40,  
43, 49, 52-54, 57, 68s, 75-78,  
88, 130s, 150.  
Ughelli 146<sup>2</sup>.  
Umbria viiis, 4s, 7, 10, 15, 19,  
41, 43, 53, 61s, 66ss, 71, 74,  
79ss, 86ss, 131<sup>1</sup>.

## V

Vallis Arni 12.  
Vallis Spoletana 15, 36, 41, 65,  
67, 72, 88, 104, 131.

Van den Wyngaert A. O.F.M.  
73<sup>3</sup>.  
Venetiae 18.  
Villari, P. 3<sup>1</sup>.  
Vitalis de Furno, O.F.M., card.  
17.  
Volpe, G. 7.

## W Z

Wadding 42<sup>1</sup>, 73<sup>1</sup>, 112<sup>1</sup>.  
Waldenses 3.  
Walter, loh. von 63<sup>2</sup>.  
Willemsen, C. A. 19<sup>1</sup>, 22, 24<sup>1</sup>.  
Zanchinus Ugolini Senae, iuris-  
consultus Ariminensis, 44<sup>6</sup>.



